This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600053987

42.
984.

DE VITA ET SCRIPTIS

LIUDPRANDI

EPISCOPI CREMONENSIS

COMMENTATIO HISTORICA.

SCRIPSIT

RUD. ANAST. KŒPKE

PHILOS. DR.

CUM APPENDICE TABULARUM QUIBUS CHRONOLOGIA PAPARUM A STEPHANO V USQUE AD IOANNEM XIII ILLUSTRATUR.

BEROLINI

IN LIBRARIA JONAE

1842.

984.

INDEX.

Caput primum . . . . . p. 1
De Liudprandi vita et quae reliquit scriptis.
I. Praefatio 1
II. Liudprandi vita. 7
III. Liudprandi scripta. Antapodosis 15
IV. Historia Ottonis 19
V. Legatio. Scripta supposita 22
Caput secundum 24
De historia Ottonis, legatione sextoque libro Antapodosis ab auctore in rebus ipsis gerendis ministro compositis.
I. Critica quae adhibenda sit. 24
II. Historia Ottonis. 26
III. Legatio 32
IV. Antapodosis liber sextus 39
Caput tertium 42
De Antapodosis libris IV et V, in quibus auctor res suo tempore gestas descripsit.
I. Res Italicae. Antapod. IV, 2—13 42
II. Res Italicae. Antapod. V, 4—13, 16—19, 26—33. 50
III. Res Byzantinae. Antapod. V, 14, 15, 20—25. . 56
IV. Res Germanicae. Antapod. IV, 14—34 62
Caput quartum. 65
De primis tribus Antapodosis libris in quibus auctor res ante suam memoriam gestas descripsit.
I. Res Italicae. Antapod. I, 14—44 65
II. Res Italicae. Antapod. II, 7—16, 32—73 . . . .

III. Res Italicae. Antap. III, 2—21, 39—52 . . . . p. 97
IV. Res Byzantinae. Antap. I, 6—12, III, 22—38 . . 105
V. Res Germanicae. Antap. I, 13, II, 1—6, 17—31 . 111
Caput quintum 115
De Liudprandi librorum indole ex moribus eius nata.
I. Fontes ex quibus auctor hauserit 115
II. Mores et fides auctoris 124
III. Auctoris doctrina et scribendi ratio 137
Conspectus chronologiae, qua Liudprandus in Antapodosi usus est 148
Appendix tabularum 155

CAPUT PRIMUM.

DE LIUDPRANDI VITA ET QUAE RELIQUIT SCRIPTIS.

I.

PRAEFATIO.

Legem natura sancitam, ut idem animus, qui populorum respublicas contineat et moveat, literarum quoque artiumque ingenuarum procreator et quasi parens sit, in nulla paene arte melius quam in historia scribenda cerni posse arbitror. Neque perspicua desunt exempla, e veteri aut recenti memoria petita, quae artem rerum scribendarum arctissimo societatis vinculo cum rebus publicis coniunctam, cum florentibus crescere et florere, cum dilabentibus senescere et dilabi demonstrant. Ex quibus unum prae ceteris, quod Germaniae historia suppeditat, meam scriptionem attingit; sunt haec, quae illustri gloria splendent, Caroli magni, Henrici Saxonis et Ottonis primi nomina. Immortales enim viri suorum hominum animos, a literis aversos, ad res scribendas revocarunt operibus clarissimis, patriaeque historiae studium ab oblivione, qua paene obrutum et exstinctum videbatur, splendidissime vindicarunt.

Cui non in mentem veniat Einhardus, rerum scriptorum sane non ultimus, quem Caroli magni gloria ad scribendum incendit, aut monachici illi annales, ab eodem viro

magno aliti quasi et sustentati, qui tam benignam tamque uberem narrandi materiem rebus gestis praeberet, ut scriptores quoque posteriores ad eundem imperatorem, velut ad splendidissimum historiae sidus, oculos referre solerent.

Quum enim nepotum bellis et posterorum inertia amplissimi imperii ruina immineret, historiarum illud flumen lentioribus undis decurrere et in turbidiores rivulos mutari coepit, qui ultimorum Carolorum temporibus penitus exaruerunt. Infelicissimus enim iuvenis, Ludovicus, *inter* aequales vix unum invenit, qui memoriam eius temporum invidiae eriperet, et tenebrae, quibus Conradi primi res gestae premuntur, posterorum narrationibus vix dispelli possunt. Sed quis miretur, miserrimis illis temporibus, quibus monachica literarum refugia delerentur, et deesset, qui reipublicae clavum exercitata manu teneret, rerum quoque scriptores reticuisse?

At vero res longe aliam speciem praebebant, quum e tanto calamitatum publicarum quasi aestu rerum Germanicarum servator tandem emersisset, Henricus primus. Is erat, qui, restituto rerum ordine, diu ac graviter desiderato, ea fundamenta poneret, quibus magni patris magnus filius Germanici imperii aedificium superstruere posset. Horum igitur virorum amplissimis factis incitati sunt, qui, historiae scribendae luce denuo accensa, quae ne penitus apud Germanos supprimeretur, metui poterat, felicissimam illorum memoriam nostrae quoque laudi servarent. Sed tam saevae erant procellae, quibus auferenda erat respublica, ut insigniores rerum scriptores, altero demum dimidio regni Ottonis exsuscitarentur. Quos si perlustraveris, viros invenies, quibus hanc laudem vix detrahere possis, nisi nativis quibusdam mendis offendaris, quod rem suam satis bene egerint. Est enim in mente Widukindi nomen, monachi Corbeiensis, qui in libro, nostro studio nimis parvo, patris filiique res gestas oratione non incompta scripsit, reliquos facile omnes superans, si ad felicissimam eius historiae tradendae indolem respicias. Nec tamen reliqui sua laude fraudandi sunt; nolo Roswithae monachae merita

extenuare, neque fastidire genuinam simplicitatem auctoris annalium, quem Reginonis continuatorem nominare solent.

Quibus scriptoribus Germanicis quod peregrinum et Italum adiungam, miretur aliquis, virum et moribus et scribendi ratione ab illis longe diversum, Liudprandum, episcopum Cremonensem. At huius quoque libri rebus ab Ottone gestis nati sunt, qui quomodo Italis consuluerit, inter omnes constat. Ex quo alio enim fonte auctor librum suum de historia Ottonis duxit, nisi ex imperatoris factis praeclaris? Cui debet Legatio originem, nisi eidem viro magno? Et haud parva Antapodosis pars ad illum virum celebrandum conscripta est, „cuius mundi partes aquilonaris et occidua, potentia reguntur, sapientia pacificantur, religione laetantur, iustique iudicii severitate terrentur?“ [1]) Cuius denique patrocinio tranquillam libertatem otiumque literatum nactus est auctor, qua sola fortuna usus fautrice tale opus componere posset, nisi Ottonis magni clementia?

Sed hac quoque sua laude excellere videtur Liudprandus, quod peregrina etsi stirpe oriundus, inter scriptores, quos nominavi, fuit primus, qui flammis intestinae seditionis vix sedatis, an. 956—958, ad scribendam Ottonis historiam animum applicuit. Widukindus enim decem annis exactis post scribere coepisse censendus est; [2]) neque aliter de Roswitha poetria statui potest, quae eodem fere tempore historiam suam versibus inclusit, in praefatione ad Ottones haud falso opinata, se non esse primam, quae tale opus aggrediatur. [3]) Et ne continuator Reginonis quidem annales prius videtur conscripsisse, quum ab a. fere 960 Ottonis res gestas fusius et accuratius exponere coeperit.

Liudprandum vero fuisse primum, quem laetior regni status ad scribendum impulerit, conditione eius bene con-

---

1) Antapod. IV, 14.

2) Pertz. monument. t. V. p. 411.

3) Meibom. script. rer. Germ. t. I. p. 710. Scripsit Roswitha post Ottonis II. consecrationem imperialem, Christi nati solemnibus 967, et ante Guilelmi, archiepiscopi Moguntini, mortem, d. 2 m. Mart. 968. Cfr. Thietm. Pertz t. V. p. 749. Necr. Fuld. Leibn. scrpt. rer. Brunsv. t. III. p. 764.

siderata, rerum scriptori prae ceteris prosperrima, non mirabere. Reliqui enim intra monasterii muros compulsi, vix in latiorem narrandi campum excurrere poterant, quam qui intra Germaniae fines pateret, et rarius ad res Romae vel apud Francos occidentales gestas animum convertebant. Aliter Liudprandus. Is non monachico cucullo indutus, sed iam ante praeclarum episcopi munus administratum, regalium arcanorum particeps, in tali rerum publicarum theatro versatus est, quod non posset quin sui temporis historiam scripturo utilissimum et saluberrimum esset. Poterat sane de se profiteri se non modo historiam scripsisse, sed etiam res scribendas aut ipsum gessisse, aut quomodo gestae sint, vidisse.

Neque igitur mirum Liudprandum condidisse opus, quo, angustiores cancellos egressus, quibus conditionis iniquitas reliquos scriptores circumscripserat, longe lateque vagaretur per omnium paene populorum historiam, quorum cognitionem homines occidentales tunc consecuti erant. Ei non satis erat de Ottone scripsisse, aut res in superiore Italia Romaeque gestas literis mandasse, qui neque consenescentis Romanorum imperii res aut finitimarum gentium, Russorum, Bulgarorum, e libri sui finibus movere vellet. Quum enim multorum hominum terras et mores in longinquioribus itineribus cognovisset, et apud Constantinopolitanos multos menses, apud Germanos multos annos versatus, unius populi linguam gustasset, alterius usum sibi parasset, extremos paene orbis terrarum, qui tunc patebat, fines animo attigit. Disiunctissimas enim Europae, Asiae et Africae gentes ampliore cognitione complectitur, Hispanos et Pizenacos, Chazaros, Armenios, Persas, Chaldaeos et Avasgos, Nordmannos, Slavos et Aegyptios.[1] Neque minus diversissimarum terrarum urbes dilucide descripsit situmque earum ob oculos posuit, Constantinopolis et Romae, Veronae, Martisburgii et Brisaci castelli,[2] ut alia taceam testimonia, qui-

1) Antapod. I, 11.

2) Antapod. I, 11. V, 21. VI. 5. III. 44. II, 40. II. 28. IV. 26.

bus Italiae et Germaniae cognitionem auctor probavit.[1]) Quae praesidia, quo maiora erant, et quo rarius inter illius temporis scriptores inveniebatur qui iis instructus esset, eo facilius historiae universalis componendae sublimius consilium Liudprandi animum subire potuit. Et haec omnia in auctore laetius vigere videbantur, quo meliori fundamento erant superstructa, quod praeclarissimis Romanorum operibus diligenter lectis posuerat.

Sed nemo credat me laudibus, quibus prae ceteris scriptoribus floret Liudprandus, obcaecatum, esse oblitum severioris illustrium virorum vituperationis, quam subierit, aut criticae, quae adhibenda sit. Quo praestantiora auctoris praesidia sunt, eo maiore severitate quaerendum est, num candidam iis operam navarit, an pro veris falsa nobis fraudulenter dederit.

Alio vero scrupulo, quem mihi Liudprandi censorum iniicit mentio, magis pungor, viresne rei gravitati sufficiant. Quod mirum ei non videbitur, qui quanta sit virorum doctorum de scriptoris auctoritate dissensio, secum reputaverit, aut qui non ignoret, eius viri nomen, qui primum agmen inter vituperatores ducat, ad immortalitatis memoriam consecratum esse. Quis enim illius scriptoris fidem desperatam non putet, quem pater Italicae historiae, Muratorius, qualem virum reliquarum gentium res gestae optarunt magis quam habuerunt, non solum in suspectae fidei insimulationem vocaverit, sed in quem crimina unicuique auctori turpia, rerum scriptori turpissima, congesserit. Paucos tantum e multis asperioribus locos delibabo, quibus Liudprandum perstrinxit. Famosorum et contumeliosorum libellorum auctoritatem, quasi ad res cognoscendas utilem, amplexum eum esse, ad alios calumniandos proclivissimum, summos illius temporis viros et mulieres lingua livore et malignitate plena aspersisse, ut fabulam fictamve aliquam Milesiam narrationem, non veram atque sinceram

1) Antapod. I, 18, 40. II, 43, 61, 65. III, 1. IV, 5. ubi singularum urbium distantiam accurato milliarium numero indicavit.

rerum gestarum historiam legere tibi videreris.[1]) Quum vir clarissimus tali censura ad Liudprandum vituperandum signum quasi sustulisset, haud paucis splendidissimum Muratorii nomen praesidio erat, quo muniti auctorem impugnarent, si quid tradidisset, quocum ipsorum opiniones stare non posse viderentur. Inter quos sunt habendi Nerinius abbas, Fidelis Soldanus, Amadesius de historia archiepiscoporum Ravennatum meritus,[2]) Fleurius cardinalis[3]) aliique. Inter recentiores, praeter Ludenium[4]), acerrimus est censor Haeusserus,[5]) qui Liudprando omni paene infamia, verbis ardentioribus quam verioribus, inusta, ne Muratorio quidem pepercit ob nimiam fidem obtrectatori malevolo habitam, omnemque operam tali scriptori navatam, inter ineptias referre non dubitavit. At vero gratia est referenda Martinio, quod in commentatione bene ac diligenter composita[6]) post Schroeckhium,[7]) qui auctorem paucis defenderat, talis scriptoris patrocinium contra Muratorium suscipere conatus est. Aequiorem de eodem sententiam tulerunt Tiraboschius,[8]) Lebretus,[9]) Eichhornius,[10]) Wachlerus[11]), Gieselerus,[12]) et Contzenius.[13])

Eodem tamen scriptore, quem calumniatorem fuisse plurimi censorum affirmant, ad res cognoscendas, post mortem Caroli Crassi usque ad primam Ottonis expeditionem, apud Italos gestas, utiliorem ducem inveniri non posse, aut

1) Satis habeo hos locos versionis Germanicae annalium, quae in manibus est, laudare; tom V. p. 319, 328, 366, 388, quibus facile plures addes.

2) Chronotaxis antistit. Ravenn. t. II. p. 72. De reliquis cfr. append. n. 13 ibid. p. 231.

3) Histoire ecclesiast. t. XII. p. 165.

4) Gesch. d. teutsch. Volk. t. VII. p. 484.

5) Ueber d. teutschen Geschichtsschr. vom Anf. d. Frankenreichs bis auf die Hohenstaufen. p. 58.

6) Denkschriften d. Academie zu München Hist. Classe. 1809. 10.

7) Kirchengesch. t. XXII. p. 50.

8) Storia della literat. Italiana t. III. p. 227.

9) Gesch. von Italien t. I. p. 363.

10) Gesch. d. Künste u. Wissensch. t. II. p. 458.

11) Handbuch d. Literaturgesch. t. II. p. 73.

12) Kirchengesch. t. II. p. 144.

13) Die Geschichtsschr. d. sächs. Kaiserzeit p. 40.

non negant ipsi, aut tacentes eum in aliis rebus secuti sunt. Plurima enim quae de ferrea illa Italorum aetate memoriae prodita sunt, uni Liudprando debemus, neque ex limpidioribus fontibus hauriri potest, qui temporum iniquitate praecisi sunt, nisi mavis inter arma historiae musam penitus reticuisse. Eo magis curandum est, ne plus iusto nobis indulgentes, dum Liudprandi commenta delere conamur, nostras opiniones, qui multis saeculis post vivimus, pro historia vendamus.

Sed iam satis in principiis haesisse mihi videor, et ad libros auctoris transirem, nisi vita episcopi Cremonensis me moneret ut paucis eam absolverem. Quam ea causa potius praeterire nolui, ne quid omisisse viderer, quam quod me nova tantum prolaturum esse crederem. Pertzius enim, vir illustrissimus, cui res Germaniae plura debent, quam paucis exponi potest, in nitidissima Liudprandi operum editione, quam nuperrime iuris publici fecit, ipsius auctoris et reliquorum, apud quos Cremonensis episcopi exstat mentio, locos et tabulas publicas collegit. Quae si omnia ex meis schedis hoc loco iterum proponere vellem, suspicionem vix effugerem, ne alienae messi falcem immitterem. Hoc vero habeo in quo acquiescam, quod, quibusdam rebus exceptis, suo loco afferendis, illustrissimi viri auctoritate multa confirmata video, quae proprio Marte iam crueram.

II.

LIUDPRANDI VITA.

Antiquissimum inter omnia, ni fallor, testimonia, quae exstant de Liudprandi vita et scriptis, est Sigeberti Gemblacensis, viri sua aetate facile doctissimi inque re literaria versatissimi, in libro de scriptoribus ecclesiasticis, c. 126, ubi haec leguntur:

„Liudprandus Ticinensis, ecclesiae diaconus, scripsit luculento et alterno stilo ad Regemundum, episcopum Elibe-

ritanae ecclesiae Hispanorum, historiam de gestis regum et imperatorum sui temporis, quam attitulavit antapodosin i. e. retributionem."[1])

Testis tempore secundus Albericus Trium fontium monachus esse videtur, qui saeculo decimo tertio florens, Liudprandi historiam ad verbum paene mutuatus est. Verba ipsa, minus gravitatis quam vetustatis causa, hic transscribenda videntur:

„Ab hoc tempore (890) Liudprandus, Ticinensis diaconus, historiam suam de regibus et principibus Europae, ad quendam Liberitanae ecclesiae de Hispania, Regemundum nomine orditur."[2])

Nec praeteriit Liudprandum eruditus abbas Spanhemensis, Tritthemius, qui in libro de scriptoribus ecclesiasticis[3]) ex eiusdem scriptis res gravissimas, quae ad vitam eius illustrandam pertinere viderentur, delibavit. Recentiores, iam inde a Baronio,[4]) paene omnes episcopi vitam brevius quam accuratius complexi sunt, quod, consilii, quo libros suos instituerint, ratione habita, vix gravius reprehendere possis. In quibus est Miraeus in auctario,[5]) Vossius,[6]) Labbeus,[7]) Dupinius,[8]) Natalis Alexander,[9]) Sagittarius,[10]) Ughellius,[11]) qui in Italia sacra S. Himerii translationem, ad Liudprandi vitam illustrandam utilissimam,

---

1) Miraei biblioth. ecclesiast. I. p. 148. Cfr. quoque librum de scriptis Sigeberti, quem uberrima doctrina compositum, nuperrime iuris publici fecit Hirschius, v. d., p. 330.

2) Leibnitii accessiones p. 222.

3) p. 260.

4) Annal. eccles. t. X., p. 751, 785, 811. Mirum est, quod Platina vit. pontif. p. 143. de Liudprando scripsit: „Stephanus V. (sedit a. 885—891) vero in tota rerum perturbatione, (quum Hungari in Italiam invasissent) sanctitate Liudprandi, Ticinensis ecclesiae diaconi, mirifice recreabatur."

5) Biblioth. ecclesiast. p. 233.

6) De historicis latin. Opp. omn. t. IV. p. 109.

7) Dissertatio philol. de script. ecclesiast. t. II. p. 33.

8) Biblioth. ecclesiast. t. VIII. p. 27.

9) Historia ecclesiast. t. VI. p. 217.

10) Introductio in histor. ecclesiast. t. I. p. 47.

11) Tom. IV. p. 589.

edidit, quem postea Arisius[1]) presso pede secutus est, Caveus,[2]) Fabricius,[3]) Weissmannus,[4]) Leyserus,[5]) Loescherus[6]) et Muratorius,[7]) qui in praefatione ad Liudprandum nova quaedam praesidia attulit. Accedunt Hambergerus,[8]) Tiraboschius, Schroeckhius, Eichhornius, et qui uberius et accuratius de auctoris vita scripsit, Martinius,[9]) et his ipsis diebus Contzenius, Haeusserus et Pertzius, qui Liudprandi vitae in praefatione ad opera auctoris novam lucem praebuit.

Eorum sententiam, quibus, Tritthemio duce, Liudprandus Ticini natus videbatur, quam Muratorius loco quodam ex auctoris scriptis confirmare conatus est, Pertzius satis refutavit.[10]) Neque audiendus est Martinius, qui Liudprandi patriae Longobardicae documentum in illis verbis invenisse sibi videbatur, quibus in Nicephorum imperatorem invehitur,[11]) „nos Longobardi scilicet, Saxones, Franci, Lotharingi, Baioarii etc.", quibus si quis affirmare velit auctorem Saxonem, Francum vel ex alia quapiam earum gentium oriundum fuisse, non reprehendi possit. At operam perdunt in talibus argumentis. Nonne ipsum Liudprandi nomen patriam indicat? Nonne in Longobardicae aulae splendore educatus, suoque testimonio a patre parvulus relictus est? Nonne pater et vitricus in eadem luce degentes amplis muneribus functi sunt?[12]) In hoc nemo facile haerebit, sed est de quo altius repetam.

Liudprandus patrem ab Hugone rege ad Romanum

---

1) Cremona literata t. I. p. 58.
2) Historia literar. script. eccles. t. I. p. 408.
3) Biblioth. mediae latin. ed. Mansi lib. XI.
4) Introductio in memorab. hist. sacrae t. I. p. 540.
5) Historia poetar. med. aevi p. 742.
6) Historie d. mittlern Zeiten p. 126.
7) Script. rer. Italic. t. II, 1 p. 419.
8) Zuverlässige Nachrichten t. III. p. 696.
9) Cfr. supra annot. p. 6.
10) Monum. Germ. t. V. p. 264.
11) Legat. c. 12.
12) Antapod. IV, 1. III, 22, 24. V, 14.

imperatorem amicitiae causa missum esse narrat.[1]) quod a fere 927 factum esse Muratorius, Martinius et Pertzius coniecerunt. Neque eos fefellit opinio, si loco e Byzantino quodam scriptore petito, a nemine, quod sciam, allato, ea, quam credo, vis argumenti inest. Legimus apud Liudprandum, patrem eius, quum Constantinopolim profecturus Thessalonicam venisset, duos Slavorum principes, qui, seditione contra Romanum mota, legatos aggressi essent, cepisse et imperatori captivos tradidisse. Aut fallor, aut eandum seditionem significavit Constantini continuator anonymus,[2]) qui Michaelem a Petro fratre et Bulgarorum principe defecisse narrat. De Bulgaris, qui partes eius secuti sint, sic pergit auctor: Ἐπῆλθον οὗτοι ταῖς Ῥωμαϊκαῖς χώραις, ὥστε συμβῆναι τούτους ἀπὸ Μακεδόνος διὰ Στρυμόνος πρὸς Ἑλλάδα καὶ τὴν Νικόπολιν προσχωρῆσαι, καὶ τὰ ἐκεῖσε πάντα ληΐσασθαι. Thessalonicen vero ubi Slavi Liudprandi patrem aggressi sunt, in ea regione, quam indicat auctor Byzantinus, fuisse sitam, omnes sciunt; et quum hanc incursionem post Stephani patriarchae mortem d. 15 m. Jul. 928, esse factam idem confirmet,[3]) non dubito legationem patris Liudprandi ad hunc aut sequentem annum revocare, aut eum eodem fere tempore, filio parvulo relicto, ut narrat auctor, mortuum esse statuere.

Liudprandum postea levitam,[4]) ut se ipse vocat, vel diaconum Ticinensium clericorum numero adscriptum, et consiliorum Berengarii marchionis ministrum et adiutorem factum esse, ex ipsius libro satis constat.[5]) Legationis quoque mentione, quam ab eodem Hugonis regis depulsore ad Constantinum Porphyrogenitum accepit, supersedere possem, nisi pauca de tempore, quo gesta sit, dicenda viderentur.

Omnes paene viri docti qui Liudprandi libris nava-

1) Antapod. III, 24.
2) Theophan. contin. VI, 29 ed. Bekker. Ed. Par. p. 260.
3) Theoph. cont. VI, 26 p. 258.
4) Ducangii glossar. med. et infimae latin. s. h. v.
5) Antapod. I, 1. V, 30.

runt operam, Baronio[1]) praeeunte, legationem illam, non satis patet quibus rationibus, a. 946 administratam esse censuerunt. Muratorius se ambigere professus est, utrum Liudprandus a. 948 an sequenti Constantinopolim profectus sit,[2]) Martinius itineris tempus annorum 946 et 949, Pertzius a. 948 et 950 terminis circumscripserunt. Auctor se legationem obiisse dicit, „rege Hugone in Provinciae partibus defuncto“[3]), qui quin d. 10 m. Aprilis 947 mortuus sit, dubitare vix poteris, imperatorum catalogo apud Pertzium[4]) in memoriam revocato, cui calendarii Martisburgici auctoritas accedit.[5]) Narrat praeterea auctor post Hungarorum in Italiam invasionem a. 947[6]), et ante Lotharii regis mortem, d. 22 m. Nov. 950[7]), Constantinopolim legatum se profectum esse.[8]) Quod vero dicit se una cum Salomone kitonita, Graecorum legato e Saxonia reduce, 8 Cal. Sept. Venetias reliquisse[9]), in Flodoardi et scriptoris Hildeshemensis narrationes cadere videtur, venisse tempore paschae a. 949 ad Ottonem regem Graecorum legatos.[10]) Itaque non possum, quin Liudprandum primum iter Constantinopolitanum tempore auctumnali a. 949 ingressum esse censeam.

---

1) Annal. eccles. t. X. p. 751.

2) Annal. Ital. t. V p. 444. Ad a. 948 revocavit legationem Le Beau histoire du Bas-Empire t. XVI p. 30.

3) Antapod. VI, 2.

4) Monum. t. V p. 216. Cod. Ambros. O. 55: Die sabbati, quod est decimo die m. Aprilis, et fuit in eo die secundum pasce, civitate Arlenda migravit ab hac die Ugo rex, abead regnatum annos 20 expletos et menses 9 et dies 3. Quae verba Lupi ex Hugonis tabulis computationem veram esse demonstrant, fuisse Hugonis regni initium d. 9 m. Jul. a. 926. Cfr. cod. dipl. Bergom. t. II. p. 149. Minus accurate in reliquis catalogis apud Pertzium Hugonis regnum descriptum est.

5) Höfer Zeitschrift t. I p. 111.

6) Annal. Bevent. Pertz. t. V p. 175. Chron. Cavens. Chron. Saraceno-Calabr. Lupus Protosp. in Peregrinii hist. princip. Longobard. ed Pratillus t. IV. p. 413, 25 et III. p. 289.

7) Cod. Ambr. l. l. Flodoard. 950 ap. Pertz. t. V. Jahrb. d. deutsch. Reichs I, 3 p. 5.

8) Antapod. V, 33. VI, 2.

9) Ibid. VI, 4.

10) Jahrb. d. deutsch. Reichs I, 2 p. 76.

Liudprandum postero tempore, quum Berengarii gratia, causis vix umquam detegendis, excidisset, et a rege in eum eiusque domum saevitum esset, exsulem factum, et profugo ab Ottone rege in aula sedem paratam esse, omnes sciunt. Neque minus fusius exponere supersedere possum, quomodo auctor e tenebris exsilii in reipublicae lucem, a rebus scribendis ad res gerendas ab Ottone revocatus sit, et maiore provincia, Cremonensium episcopatu, inter a. 961 et 963 [1]) non indignus habitus; quomodo a. 963 Romano concilio et Joannis XII et Leonis VIII paparum fortunae vicissitudinibus, et Joannis XIII electioni Ottonis legatus interfuerit. Tabulas quoque publicas, in quibus mentio facta est auctoris, silentio praeterire possem, nisi occurreret una, quae, ut aliis aliis de rebus, sic mihi de Liudprando novum scrupulum iniecit. Sunt literae illae Joannis XIII papae satis vexatae, in quibus quae in altero concilio Ravennati de archiepiscopatu Magdeburgensi constituendo acta sunt, fusius explicantur.

Non iniuste Leutschius huius decreti fidem, aliis ductus rationibus, in dubium vocasse videtur [2]), quum Liudprandi nomen inter reliquorum episcoporum, qui subscripserunt, nomina occurrens, non minorem moveat suspicionem. Legimus enim in hac tabula, quae tanquam scripta esset in secundo concilio Ravennati, mense Octobri 968, speciem prae se fert, haec verba: „Liudprandus, sanctae Cremonensis episcopus ecclesiae, interfui et subscripsi, his iuste peractis Constantinopolin rediens.“ Quum vero Liudprandus ipse testis sit [3]), se a secunda legatione Constantinopolitana reducem, die 22 Dec. 968 adhuc Corcyrae hae-

1) Sic Muratorio et Pertzio placuit. Aliorum perversas sententias e. g. Cavei silentio praetereo. De Liudprandi decessore vix aliud quam nomen ex Ughellii Italia sacra t. IV p. 588 proferre possem, nisi commutationis quaedam tabula apud Lupum cod. dipl. Berg. t. II p. 263 confirmaret, eum non Darimbertum, ut vult Ughellius, sed Dagobertum vocatum, anno regni Berengarii et Adalberti 10, ind. 3 i. e. 960 mense Junio inter vivos fuisse.

2) Markgraf Gero p. 126. Meibom script. rer. Germ. t. I p. 731.

3) Legat. c. 64.

sisse, eum illi concilio interesse non potuisse iam observavit Mascovius.[1]) Neque ipse dubito, quin auctor, vel, si mavis, interpolator illius tabulae, his certis fraudis vestigiis teneatur,[2]) neque sic ei suppetias iri posse credo, ut voluit Pertzius, nomen illud post Liudprandi reditum insertum esse. Quid eum adducere potuit, ut concilii tabulis nomen suum multis mensibus post imponeret, tanquam interfuisset, quum non interfuisset? Si quis tamen obiiciat, verba illa „his iuste peractis etc.“ tam accurate cadere in Liudprandi conditionem, ut ea ab interpolatore inventa esse vix cogitari possit, crediderim ea e tabulis alius cuiusdam concilii illo tempore habiti desumta esse, quibus tenebrio ille foetum suum exornarit. Sed ne sic quidem obscura illa verba „Constantinopolin rediens“ satis apte explicari possunt.

Sed iam alius Liudprandi vitae locus in transitu videtur attingendus, quem ab omnibus paene, Muratorio excepto, praeteritum esse video. Quum enim Liudprandus Theophaniam secunda legatione a. 968 petiisset, quem annum a Baronio probis argumentis confirmatum, in dubium vocare nemo ausus est, in versibus, quos Constantinopolim relicturus mensae ligneae inscripserat, hoc de se praedicat: [3])

Induperator enim Bareas conscenderat Otto
Caede simul flammisque sibi loca subdere tentans,
Sed precibus remeat Romanas victor ad urbes
Inde meis.

Quos versus Muratorius ita expedire voluit[4]): Ottonem, contumeliis compertis, quibus Liudprandus a Graecis affectus esset, Bari urbi obsidionem intulisse, rogatum vero ab illo, qui metueret ne in maius discrimen vocaretur, eam solvisse. Sed rem aliter se habuisse ex ipsa legatione patet. In primo enim Nicephori imperatoris colloquio, ad quod die 7 m. Jun. admissus est auctor, inter alia haec

---

1) Commentar. a Conrado I usque ad Henricum III. p. 98 an.

2) Jahrb. d. deutsch. Reichs I, 3 p. 141.

3) Legat. c. 57.

4) Annal. t. V p. 530.

dixit: „Sed et optimam amicitiae arabonam fraternitati tuae nunc dominus meus contulit, cum Apuliam omnem potestati subditam, meo interventu, cuius hoc suggestione malum factum esse dicis . . . . [1]) Cuius rei tot sunt testes, quot sunt totius Apuliae habitatores.“ Verba ad Baris obsidionem sine dubio referenda, qua urbem m. Mart. 968 cinctam esse constat.[2]) Patet igitur auctorem ante legationem gestam inter Saxones et Graecos inducias conciliasse.

Pauca tantum, quae de Liudprandi vita dicam, restant. Ultimam eius, quae ad nos pervenerit, mentionem d. 20. m. Jul. 972 factam esse[3]), primam vero Adelberti successoris in tabula Ottonis d. 28. m. Martii 973, observavit Pertzius.[4]) Hoc tamen ab animo impetrare non possum, quod pace viri illustrissimi dictum sit, quin ab auctore tertiam legationem Constantinopolitanam administratam esse cum Pertzio credam, ut narrat scriptor translationis S. Himerii. Non sane tantam argumenti vim, aliis testibus deficientibus, adscribam verbis illis: „imperiali servitio coactus Constanstantinopolim directus, illuc amplius haud est reversus;“ *sunt* enim auctoris, qui neque Liudprandi tempore vixit, neque magnam fidem sibi conciliare posse videtur.

Jam de Liudprandi libris et de tempore, quo compositi sint, in medium pauca protulisse non supervacaneum puto, quum meam sententiam ab iis, quas viri docti tuiti sunt, in quibusdam rebus abhorrentem, aequo iudicio me doctiorum proponere velim.

---

1) Legat. c. 7. Excidit verbum, a Pertzio „dimiserit, reliquerit“ vocibus restitutum.

2) Chron. Cav. et Lupus Protosp. ap. Pratillum t. IV. p. 416, 27. Jahrbücher I, 3 p. 129.

3) Lupi cod. dipl. Berg. t. II p. 302.

4) Falso Ughellius t. IV p. 591 hanc tabulam Liudprando ipsi datam esse contendit atque in eundem errorem, qui eum secutus est, Arisium Crem. lit. p. 60 induxit, et nihil est, quod idem dixit, per 27 annos auctorem cathedram Cremonensem tenuisse.

III.

LIUDPRANDI SCRIPTA. ANTAPODOSIS.

Tres sunt Liudprandi libri, longior unus, de rebus gestis regum et principum Europae, quem Antapodosis inscripsit, breviores duo alii, de historia Ottonis et de legatione, qua apud Nicephorum, imperatorem Byzantinum, functus est. Jam videamus de Antapodosi.

Omnes paene qui post Pagium[1]) auctoris vitam fusius enarraverunt, legem a perfectissimo critico de tempore libri conscripti datam, amplexi sunt. Nec sane iniuste, terminos enim pepigit, qui certius constitui, transiri aeque non possunt. Morte enim Liutolfi, Ottonis filii, de cuius recenti saltem iactura, (obiit d. 6 m. Sept. 957[2]),) lacrimas nondum exaruisse dicit auctor, et Constantini Porphyrogeniti imperatoris viventis mentione, (obiit d. 9 m. Nov. 959[3]),) tempus, quo liber conscriptus est, quasi cancellis Pagius circumscripsit. Quibuscum Berengarii tyrannica dominatio, mors Alberici principis a. 954, Hungarorum clades ad Licum a. 955 commemorata, et Petrus Bulgarorum princeps, vivus, obiit a. 969, optime conveniunt.[4]) Nunc Pertzius rei ita consuluit, ut unumquemque librum ad suum tempus accuratius revocaret, atque, quum in quarto libro Constantini mentio non occurrat, quartum et quintum ante Berengarium expulsum a. 961, de quo adhuc saeviente legimus[5]), scriptos esse statueret. Quod vivus quoque rex Abderhaman Cordubensis confirmat, quem a. 961 mortuum esse scimus.[6])

1) Crit. in Baron. t. IV p. 4.

2) Antapod. IV, 16. Cfr. cont. Reginonis et Thietmari testimonia. Jahrbücher I. 3 p. 60.

3) Antapod. I, 5. II, 45. III, 25, 26. Constantinum illo tempore obiisse demonstravit Pagius t. III p. 873, probante Krugio. Chronologie d. Byzant. p. 297.

4) Antapod. IV, 7, 14. II, 48. I, 5. III, 29. Cfr. Flod. ann. Pertz t. V et chron. Farfens. Murator. script. II, 2 p. 295.

5) Antapod. IV, 7.

6) Ibid. V, 2. Cardonne histoire des Arabes I, p. 319, Conde Gesch. d. Mauren in Spanien I p. 357.

Utrum vero primi tres libri ad a. 957 an 958 referendi sint, in amicitia potissimum nititur, quam Liudprandus cum Recemundo, episcopo Liberitano, Abderhamanis regis ad Ottonem legato, inierat, qui eum biennio ante ad scribendum hortatus erat.[1]) Quum legatum ab Ottone Francofurti receptum esse legamus[2]), e tabulis in eadem urbe scriptis hoc a. 956 factum esse, Pertzius coniecit. Cui vix accuratius definiendo, unum est quod addam. Videmus e vita Joannis Gorziensis hunc virum in Hispaniam legatum missum esse, quum Bruno, frater Ottonis, qui post m. Julium a. 953[3]), Coloniensem cathedram adeptus est, esset adhuc „magno ac felici postmodum futurus usui et decori.“[4]) Joannes vero per tres annos in Hispania retentus, in Abderhamanis colloquium admissus est m. Junio post Recemundi e Germania, ubi unum annum commoratus erat, reditum. Quem igitur post a. 956 in Liudprandi amicitiam venire non potuisse, satis apparet.

Ut de ultimi Antapodosis libri tempore aliam sententiam tuear, quam proposuit Pertzius, cui a. 962 placuit, rationibus haud contemnendis adduci mihi videor. Hoc profecto commoveri non potest, auctorem librum sextum post imperium ab Ottone susceptum literis obsignasse; non semel enim indicavit eo tempore, de quo sermo institutus sit, Ottonem fuisse regem, nunc vero esse imperatorem.[5]) Sed praefatione libri sexti lecta, hunc statim post Ottonis imperium Febr. 962 scriptum esse, ex eo vix coniecerim, ut vult Pertzius, quod Liudprandus se fortunae rota nondum elevatum esse subobscure indicavit. Neque video, si in eadem praefatione verba, quibus auctor dicit se peregre profectum esse, cum eodem viro ill. in annotatione ad VI,

---

1) Antapod. I, 1.

2) Vita Joannis Gorziensis in Mabillon. act. Sanct. Benedict. saec. V p. 409. Recemundum fuisse Liudprandi amicum, praeter Henschenium, coniecerunt alii, e. g. Mabillon in annal. Bened. t. III, p. 529, Ferrera Gesch. v. Spanien t. III p. 114.

3) Jahrbücher I, 3 p. 121.

4) Vita Joann. Gorz. p. 404, 410, 411.

5) Antapod. VI, 4, 6.

1 ad iter Romanum referuntur, quomodo in tanta discrimina devenerit, ut, morte et membrorum mutilatione excepta, deteriora sibi accidere non posse queratur, quum a. 963 [1]) demum Joannes papa Adalberti partibus favere coeperit. De alio igitur auctoris itinere cogitandum; neque deest, quod ad verba illa revocari posse videatur.

In quanta pericula Liudprandus a. 968 Constantinopoli redux adductus sit, quomodo in alto mari saevissima tempestate iactatus, fame pressus, praedonum armis subiectus et comitum insidiis circumventus sit, gravissima oratione in Legatione descripsit. Nihilominus in his calamitatibus locum invenit, ubi cum rebus gestis dolorem quoque chartae committeret, ut satis elucet ex his verbis: „Ac de his satis me scripsisse sufficiat, donec deo largiente sanctissimorumque apostolorum orationibus, ex Graecorum manibus ereptus, vos adeam.“ [2]) Quibus diligenter perpensis si subiungam, ad quod Pertzius digitum intendit, Liudprandum in Legatione [3]) his verbis conquestum esse, „et nisi divina pietas parasset in conspectu meo mensam, una mihi parata mors foret accepta“, quae ab initio praefationis libri sexti Antapodosis paucis mutatis iterum leguntur, crediderim, Liudprandum, ut Legationem, sic quoque sextum librum illum in ipso itinere literis mandasse. Ubi locorum vero calamum receperit, quamquam de neutro libro certo dici potest, fortasse tempus satis idoneum viginti illi dies praebuerint, quos Coriphi retentus est. [4])

Si in rebus tam perditis Liudprandum praefationem libri sexti scribentem tibi finxeris, eum dixisse non mirabere suae conditioni tragoedum potius quam historiographum convenire, et peregre profectum tantis incommoditatibus se quati, ut lugere potius quam scribere iuvet, quas quo minus sentiat, se scribendo operam daturum esse. Anno 968 igitur decem annis peractis postquam animum ad historiam sui temporis attendit, librum absolvendum condi-

1) Cont. Reg. ap. Pertz. t. I.
2) Legat. c. 62.
3) Ibid. c. 46.
4) Legat. c. 64.

tione usus satis mirabili suscepit. Nec desunt in libro sexto indicia, quibus confirmari videtur, rerum publicarum conversione in Italia facta, annorum vim acerbissimum Liudprandi odium in Berengarium mitigasse, et veluti freno quodam coercuisse. Quas enim ansas opprobriorum vel cavillationis Berengarii, auctori non dedissent dona, ex suis, marchionis vero nomine Constantino oblata?

Una denique restat difficultas, quae haud scio an ea quam ingressus sum via, explicari possit; nodum dico in verbis obscuris sub finem libri tertii praefationis latentem. Hoc loco enim, minus ut videtur idoneo, totius operis nomine Antapodosis exposito [1]), his conclusit verbis: „Denique quod εν τη εχμαλοσια, en ti echmalosia, hoc est in captivitate seu peregrinatione, libellulus hic conscriptus dicatur, praesens indicat exsulatus. Coeptus quippe in Frankenenvurd, qui est 20 miliariis locus Magontia distans, in Paxu insula nongentis et eo amplius Constantinopolin miliariis distans, usque hodie exaratur.“ Quae verba, mirabile est dictu, etsi unicuique paulo attentius legenti, molestissimum scrupulum iniicere debebant, omnium paene, qui de Liudprando scripsere, oculos fugerunt. Legit quidem Baronius illa verba [2]), sed quod sibi quisque declarari velit, non declaratur, et quam Martinius pollicitus est explicatio, numquam, quod sciam, in lucem prodiit. Nicolaus Antonius, vir sagacissimus, qui Liudprandi libris optime consuluit, crucem illam hoc modo effugere sibi videbatur, ut vexata verba ad tertium quoddam iter in occidentales Graeciae regiones, a. 954 fortasse initum, revocaret, [3]) quum, ne ad primi itineris a. 949 referantur, tempus, quo scripta est Antapodosis, neve ad secundum 968, Berengarii vivi, (obiit a. 966 [4])) in eodem capite mentio vetaret. De tempore sententiam stare non posse, quum auctor ante a. 956 opus non aggressus sit, nemo non videt. Alteram eius partem Pertzius v. ill. am-

1) Hoc iam mirum videbatur Nicolao Antonio in bibliotheca Hispana vet ed. Bayer p. 526, qui hoc prooemium ad librum quintum revocare voluit.

2) Annal. eccles. t. X p. 781.

3) Biblioth. Hisp. vet. p. 527.

4) Cont. Reg. ap. Pertz. I.

plexus esse videtur, qui aliud iter proposuit. Dicit enim Liudprandum, Graecorum animos de foedere contra Berengarium tentaturum, Paxi insulae haesisse.[1])

Cuius vero itineris quum nullum vestigium apud Liudprandum aut reliquos temporis illius scriptores teneatur, obscura illa verba glossa quasi in secundo itinere adiecta eo magis habenda videntur, quo minus, quin auctor eo tempore Paxum insulam attigerit, dubitare possumus. Ipse enim narrat[2]) Leucadia insula d. 14 m. Dec. relicta, eiusdem mensis die 18 Coriphum se venisse, inter quas insulas Paxus sita est. Quidni igitur rerum humanarum varietatem animo volvens, se, Italum, prius Francofurti, nunc Paxi exsulem esse, prioribus ultima illa verba adiungere potuerit? Num cui, excepto auctore, arrideat haec coniectura, nescio, quam ad alium auctoris librum transiturus, viris doctis examinandam relinquo. Liudprandi enim consilium, a temporibus sine dubio conturbatum, quo perducere vellet Antapadosin ad novissimam usque suam aetatem, Pertzius iam proposuit, et locis e libro collectis, quibus auctor se res narraturum esse pollicetur, quae non leguntur, satis illustravit. Ne quis vero cum Tiraboschio credat, illam libri partem tempore nobis praereptam esse, antiquissimi codicis, quem secutus est Pertzius, vetat auctoritas.

IV.

HISTORIA OTTONIS.

Vix umquam viri docti, qui criticae operam dabant, maiore consensu lapsi sunt, quam illius libri auctorem in dubium vocantes, qui in novissima editione historia Ottonis inscribitur, in vetustioribus vero alterum dimidium libri sexti a capite sexto complectebatur. Quod fieri vix potuisset, si in rem accuratius inquisivissent, minoremque

1) Praef. ad Liudpr. Monum. t. V p. 265.

2) Legat. c. 64.

fidem ei habuissent, qui sua auctoritate omnes pariter in errorem duxit, Baronio.[1]) Hic enim primus, quibusdam ratiunculis nimium confisus, librum illum Liudprando derogare et nescio cui anonymo vindicare conatus est. Quod quum multorum plausu probatum esse videretur, vix ii auditi sunt, qui aliam sententiam tuebantur.

Quamquam codex antiquissimus, quem iuris publici fecit Pertzius, quaerendo finem imposuit, tamen rationes, quibus Baronius vincere voluit paulo accuratius considerare, a proposito non alienum fore puto. Summum pondus enim addidit stili diversitati, quam in Ottonis historia sibi deprehendisse videbatur. Quae vero sit illa diversitas, copiosius non exposuit. Sed ne temere iudicare videar, hoc ei dandum est, nonnulla inesse huic libro, quibus talem opinionem confirmare possis. Deest nimia illa orationis luxuries, quae in Antapodosi se profundit, et adipatum illud scribendi genus rebus magis attemperatum est, neque tumidas orationes nec Graecas aut metricas lacinias invenies. Quae tamen ut Liudprandinam originem in dubium vocare possint, multum abest. Ut taceam de flosculis ex Horatio, Iuvenali, Terentio, in hoc quoque libro carptis, multae locutiones, quas in utroque libro inveniri haud paucis exemplis confirmare possim, nullam dubitationem relinquunt, quin Antapodosis et historiae Ottonis unus idemque auctor sit. Deinde in hoc potissimum haesitarunt viri docti, quod historia Ottonis extra illos terminos posita, quibus Liud-

---

1) Annal. eccles. t. X. ad a. 963. Nomina eorum qui plus minusve in verba magistri iurarunt, apponam: Miraeus, Vossius, Sagittarius, Natalis Alexander, Arisius, Nicolaus Antonius, Caveus, Fabricius, Joannes in editione Reuberi, Fleurius, Tiraboschius, Lebretus l. l. Muratorii interpres Germanicus t. V p. 501, Curtius de senatu Romano p. 174, Hoeflerus, Geschichte der deutschen Päpste t. I. p. 42. a. 67. Pagius in crit. ad Baron. et Muratorius script. Ital. t. II, 1 p. 476. Annal. t. V p. 501 in tanta rerum ambiguitate neutri parti nomina adscribere voluerunt. A Liudprandi partibus, quod sciam, steterunt. Canisius in praef. ad legat., Bivarius in Higuerrae editione Liudprandi, Dupinius, Weissmannus, Schroeckhius, Martinius, qui levissima argumenta Curtii refutavit p. 68, Wilkenius in Heidelberg. Jahrb. 1813 p. 1242., Gieselerus Kirchengesch. t. II. p. 201, et nuperrime Doenniges in Rankii Jahrb. t. I, 3. p. 200.

prandus ipse librum suum circumscripsisse videretur, nullo vinculo cum libri sexti parte prima coniuncta sit. In hoc paene dixerim invite vera vidit Baronius, qui, si liber ille eiusdem auctoris esset, ab Antapodosi plane diversus sit necesse esse affirmavit. Rem sic se habere iam vetustiores Liudprandi editiones testatae sunt, in quibus legimus, Ottonis historiam esse librum singularem, brevitatis causa ultimo Antapodosis capiti additum, de quo nunc Pertzius omnem dubitationem sustulit.

Liudprandum historiam Ottonis Antapodosi subiicere neque voluisse neque potuisse, facillime tibi persuadebis, si tempus, quo hic liber conscriptus sit, cum alterius libri tempore comparaveris. Auctor enim se, vivente Leone VIII. pontifice, historiam Ottonis composuisse profitetur his verbis[1]: „Leonem, venerabilem sanctae Romanae ecclesiae tunc protoscriniarium, nunc in eadem sede b. Petri apostolorum vicarium". — Obiit vero Leo VIII post diem 7 mens. Aug. a. 965.[2]) Concepit igitur Liudprandus librum inter m. Julium 964, quum in Benedicto V, hoc tempore a pontificali munere summoto, calamum deposuerit, et m. Augustum a. 965, i. e. antequam conscripsit librum sextum Antapodosis, quem ad a. 968 revocare conatus sum. Neque potuit igitur auctor historiam Ottonis Antapodosi nondum finitae annectere, sed in singulari libro Ottonis res in Italia gestas exponere voluit; et iam diu haec mihi arrisit coniectura,[3]) Liudprandum, fortasse hortante ipso imperatore, politicum illum, ut ita dicam, librum composuisse, quum novum sine dubio et inauditum hoc esset, ut imperator et episcopi summo pontifici munus eriperent. Quae si omnia cogitatione complexus fueris, non profecto cum Baronio aliisque statues, Liudprandum auctorem ideo esse non posse, quia de se ipso tertia persona modestius usus sit.

Jam unum superest, quod addam. Videbatur quibusdam historia Ottonis omnibus partibus expleta non esse;

1) Hist. Ott. c. 6.

2) Cfr. appendicem de pontificum tabulis.

3) Eandum coniecturam proposuit Doenniges in Rankii Jahrb. I, 3 p. 200.

nec perperam illi iudicarunt, ut nova docet Pertzii editio. Initium libri nobis praereptum esse non contenderim, sed haud scio an auctor ne hoc quidem opus absolverit. Dicit enim[1]) Benedictum in magna episcoporum concione pontificis signa deposuisse, „quorum nomina inferius adscribentur.“ Nihilominus desiderantur illa nomina, et quod non minus mirari subit, in vetustioribus editionibus leguntur verba „superius adscribuntur,“ ab editoribus sine dubio ad catalogum in c. 9. relata.

V.

LEGATIO. SCRIPTA SUPPOSITA.

De legatione, quum quo tempore conscripta sit, satis pateat, deque iis libris, qui Liudprandi nomine circumferuntur, hoc loco copiosius scribere sine dubio supersedere possum. Librum enim de vitis pontificum Liudprando nescio quo fato adscriptum, ne Busaeus quidem, qui primus eum e tenebris protraxit, pro Liudprandino venditare voluit.[2]) Higuerra vero et Ramiresius, qui auctori suum foetum subiicere conati sunt, haud scio an alium praeter unum Bivarium in fraudem deduxerint, qui in chronico supposito et adversariis miserrime conflatis nescio quid Liudprandi ingenii odorari sibi videbatur. Jam eo tempore, quo foetus in lucem susceptus est a. 1635, fraudis vestigia tenuit Miraeus, qui scripsit a. 1639:[3]) „De aliis supposititiis foetibus iudicium Liudprandinae dictionis perito relinquimus.“ Et Labbeus[4]) de iisdem acerbam hanc, sed

1) Hist. Ott. c. 22.

2) Miraeus, Vossius, Labbeus, Caveus, Fabricius librum reiecerunt. Nuper Lappenberg vir ill. de origine eius copiose disseruit. Cfr. Archiv für ältere deutsche Gesch. t. VI. p. 741.

3) Auctar. in biblioth. eccles. p. 233.

4) Dissert. philol. t. II. p. 36.

iustam sententiam tulit, illa chronica „cum fabulis anilibus et Amadisiorum nugis sunt in Utopiam Morboniamque insulam releganda.“ Quam sententiam uno ore posteriores scriptores professi sunt; nonnulli vero e. g. Caveus in eo lapsi sunt, ut fabulam de Liudprandi origine Hispanica, quam illi falsis suis chronicis probare volebant, amplecterentur, cuius vanitatem Nicolaus Antonius, Liudprandini nominis servator, in libro saepius laudato una cum mendacis chronici origine, maiore nescio diligentia an sagacitate ob omnium oculos posuit. Idem postea Docenius, integra lectione Antapod. V, 1. e codice Monacensi restituta, [1]) nunc Pertzius nitidissima sua editione confirmavit. Qui quanto merito Liudprandum e sordidissimo squalore, quo priorum editorum negligentia erat obsitus, nunc in lucem protraxerit, is tantum scit, qui, vetustioribus editionibus inter se comparatis, viderit, quot qualesque lectiones sensu carentes per omnes editiones pariter se transfuderint.

---

1) Aretin Beiträge t. VII.

CAPUT SECUNDUM.

DE HISTORIA OTTONIS, LEGATIONE SEXTOQUE LIBRO ANTAPODOSIS,

AB AUCTORE IN REBUS IPSIS GERENDIS MINISTRO COMPOSITIS.

I.

CRITICA QUAE ADHIBENDA SIT.

Liudprandi libros ad critices normam exacturus, ab instituto non alienum puto, quam viam initurus sim, paucis exponere. Hoc praecipuum critices munus videtur, si quis eam in historiam adsciscere velit, ut ob oculos ponat, quo tandem societatis vinculo auctor, qui res scribere conatus sit, et res ipsae, quae scribantur, inter se sint coniunctae. Qua quum in quaestione suam examinandi legem unusquisque sibi poscat auctor, quae in nostro sit illa lex, iam videamus.

Unicuique vel strictim Liudprandi libros perlustranti sub oculos cadit, haberi eum non posse inter illorum medii aevi scriptorum magnum gregem, qui omnia paene ab aliis mutuati, de suo vel nihil vel paucissima addiderunt; est potius auctor liber et ingenuus, qui non in foedam describendi servitutem delapsus, quae ipse viderat vel audierat suo stilo prosecutus est. Talem scriptorem non facile eadem ratione, qua illum metiaris, qui ex aliorum libris novum tantum consuerit. In hoc fontes praesertim

indagabis, e quibus transcribendo hauserit, quidque singulis debeat, erues; in illo, comparatis singulis eius narrationibus cum ipsa rerum imagine, e purissimis fontibus concepta, examinandi lex nascitur.

Non me fugit, qui talem comparationem instituerit, historicas potius annotationes ad scriptorem quam commentationem de scriptore prolaturum esse; neque posse quidem librorum auctoris obrussam inveniri in sola locorum aliunde conquisitorum coacervatione, quum unius scriptoris fidem alterius tantum auctoritate, cui ipsi critica est impertienda, metiri possis. Ex cuius orbis circumscriptione non facile excedes, nisi criticam interiorem et divinandi quandam facultatem adsciveris, quae singulae auctoris narrationes veraene sint an secus, ipsarum vestigiis sentiat et quasi odoretur. At neque huic duci nimis fidere licet, nisi quis coniecturarum voluptate obcaecari velit. In scriptore enim examinando duplex illa critica ad auctoris indolem, ut ad summam legem, redeat necesse est. Qui igitur sit eius animus, qui sint mores, quantaque eorum vis fuerit in rebus vel sic vel aliter narrandis, quoad ex ipsius auctoris libris cognosci potest, diligenter quaerendum est.

At vero hoc dandum est rerum scriptori, esse multa, quae ei, etsi accuratissime scribenti, officiant, atque quominus tempora, ut fuerint, depingat, ne ipso quidem sentiente impediant; ut taceam, quod hominum angustus animi sensus neque iuste neque plene res omnes comprehendere potest. Itaque num ingenium auctoris beatius sit an tenuius, num politior ipse an inconditus, quo studio quove odio captus, num de patriae an de peregrinorum rebus scripserit, haec omnia in historia componenda maioris momenti sunt, quam quae in examinando auctore silentio praeteriri possint. Si igitur intelligere volumus, quanti aestimandus sit auctor in rebus scribendis, ea historiarum pars consideranda est prima, quam praesidiis quam plurimis et optimis munitus composuit. Ubi si eum negligentem neque sincerum aut probum invenerimus, vix est, quod consideremus ea, quae minoribus praesidiis adiutus scripsit; sin vero locupletem testem fideque dignum, normam ha-

bebimus, ad quam historiae partes, minus laeta conditione natae, exigendae erunt.

Hac ipsa critices lege ordo, quo singulae librorum partes tractandae sint, nobis praescriptus est. Initium enim ab iis rebus faciendum est, quas Liudprandus in gerendis ipsis munus publicum tuitus, literis commendavit; primum igitur locum historia Ottonis tenebit, sequentur libri de hominibus exteris, quos vidit, compositi, i. e. Legatio ad Nicephorum imperatorem, et liber sextus Antapodosis, duplex iter Constantinopolitanum continentes. Examinatis dein illis rebus, quibus, suo quidem tempore inque sua patria factis, auctor non consuluit, ad eas transibimus, quas ante suae aetatis memoriam gestas posteritati tradidit.

II.

HISTORIA OTTONIS.

Pauca sunt dicenda de historia Ottonis, quam Liudprandus omnibus illis praesidiis munitus composuit, quae unicuique sui temporis historiam scripturo optes. Non modo enim Italus de Italis, sed res etiam scripsit vel a se ipso gestas, ut legatio, qua functus est apud Joannem XII. pontificem, et oratio Ottonis, quam latine reddidit in concilio Romano, testantur,[1]) vel quas ab illis, quibuscum arctissimo fidei vinculo erat coniunctus, gestas viderat. Neque deerant alia praesidia, quibus narrationi fidem conciliare posset, publica monumenta, imperatoris enim et episcoporum ad pontificem et pontificis literas in librum recepit, et aliarum fecit mentionem, quas ad Hungaros excitandos Joannes dedit.[2]) Quas si una cum episcoporum

1) c. 7, 11.
2) c. 12, 13, 14, 6.

catalogo[1]) ex ipsius concilii actis haustas esse coniiciam, meae opinioni nimium dedisse vix videar.

Quae vero neque viderat Liudprandus, neque his praesidiis confirmare poterat, ab iis sine dubio cognovit, qui sive testes oculati, sive rerum scientia bene instructi erant; ut Joannis XII. mortem a cognatis et familiaribus papae, qui morienti adstitissent, sibi esse traditam profitetur,[2]) quorum fides, quo arctiore vinculo cum papa coniuncti erant, eo minus in dubium vocanda videtur.[3]) Addi fortasse potest nuntiorum narratio ab Ottone Romam missorum, quam auctorem ab ipsis accepisse crediderim, nisi quis Pertzii coniecturam praeferat, Liudprandum fuisse unum ex illis familiaribus, qui Joannis papae mores cognituri mitterentur. Res novas quoque, quas in Leonem VIII. Joannes molitus est, et Benedicti electionem,[4]) ab aliis auctor audivit, si forte imperatoris in itinere Spoletino, eodem tempore facto, comes erat.[5])

Utut est, sint haec ab aliis tradita, aut ab auctore ipso conspecta, hoc in libello minimi non aestimandum est, quod inter ipsas res gerendas calamo eas receperit, quum animus iis adhuc commoveretur. Nemo, crediderim, scriptoris talibus praesidiis subnixi fidem in suspicionem vocare potest, nisi quis ob politicum, quod supra proposui, libri consilium, eum partium studio plus iusto dedisse, coniecturam faciat. Sed non video profecto in hoc libro eos fines auctorem transgressum esse, quibus unusquisque, qui de rebus certam aliquam sententiam amplexus est, teneatur oportet.

---

1) c. 9.

2) c. 20.

3) Ut factum video Jahrbücher t. I, 3 p. 200. Neque tam perplexa est, ut videbatur, de Joannis morte narratio; non a quodam interfectore pontifex interemtus est, sed „a diabolo percussus“ i. e. apoplexia correptus, quo sensu apud medii aevi scriptores saepius occurrit vox percutiendi, e. g. in annal. Hincm. 879; neque repugnant reliqui, qui de morte Joannis scripserunt auctores.

4) c. 19, 20, 21.

5) c. 18.

Sed ne credamus, Joannem XII, Ottonis hostem, nequiorem et vitiosiorem, quam revera fuerit, imperatoris studio a nostro descriptum esse, vetant alii eiusdem aetatis scriptores. Non enim de suo tantum in pontificem auctor crimina congessit, sed cardinalium et episcoporum nomina apposuit,[1]) qui Joannem, quod summis flagitiis se inquinasset, ab ipsis aut visis aut bene cognitis, in publico concilio accusarunt. Num Liudprandus veritatem ita fucasse censendus est, ut illos episcopos, qui tale mendacium facile refellere poterant, dicentes impudenter fecerit, quae non dixerint? Minime; si una alterave criminatio exaggerata sit, famae vel episcopis illis, hoc saltem loco Liudprando non imputanda est.

Sed audiamus alios scriptores, a rebus publicis Liudprando remotiores, quid de papa illo, sanctae sedis contaminatore, statuerint. Tectius indicavit Ratherius, Veronensis episcopus, in libro de contemtu canonum circa a. 963 composito,[2]) inde nasci canonum contemtum „ut neminem invenire eorum valeam curatorem, a vilissimo utique ecclesiae, usque ad illum qui sapientissimus affectat vocari, a laico usque ad pontificem (proh nefas!) summum.“ Et alio loco in eodem libro:[3]) „Qualis est utique ille, qui, reus forsitan talium, apostolicae dignitatis occupare non formidat, ut iam contigit, proh nefas! editum locum. Cui enim nec ordinationis legalitas nec conversationis suffragatur honestas, et illi magis congruens mentis et corporis deest integritas“ etc. Idem fere dilucide dixit Arnulfus episcopus in Remensi concilio a. 991,[4]) ut scripsit Gerbertus. In brevi enim Joannis XII. et Leonis VIII. pontificum historiae expositione, qua singulae res a Liudprando traditae confirmantur, dicere non dubitavit, Joannem „in volutabro libidinum versatum, multa caede primorum in urbe debacchatum esse,“ et eundem et Bonifacium papam his verbis de-

1) c. 10.
2) Opera omnia ed. Ballerini p. 348, p. 345.
3) p. 358.
4) Pertz monum. t. V. p. 672.

pingere: „monstra hominum ignominia plena, scientia divinarum et humanarum rerum vacua.“

Quis non videt a talibus viris Liudprandi narrationi fidem conciliari, ne laudem Joannis vitam in pontificum catalogo apud Eccardum,[1]) e pontificali quodam libro haustam, qua eum in adulterio et vanitate vixisse legimus, aut Benedictum monachum, cuius chronicon Pertzius nuperrime[2]) historiae restituit, rudissimum quidem et barbarum scriptorem, sed Joannis aequalem, qui dicit, cum nostro auctore consentiens, „papam habuisse consuetudinem saepius venandi, non quasi apostolicum, sed quasi hominem ferum, eumqne dilexisse collectionem feminarum;“ et „factus est tam lubricus sui corporis et tam audaces, quantum nunc in gentilis populo solèbat fieri.“

Reliqua sincere a Liudprando posteritati tradita esse, praeter laudatos scriptores, ante omnes comprobat continuator Reginonis, ad cuius utilissimi auctoris normam nostri narratio accurate exigi potest.[3]) De iisdem enim rebus tam similiter et ingenue scripserunt ambo, ut ex uno eodemque fonte eos hausisse dicas, et nihilominus unum alterius auctoritate ponderare possis. Continuator Reginonis res omnes ab Ottone in Italia gestas breviore in conspectu posuit; Liudprandus vero rerum conversionem Romae factam exponere voluit, ex quo duplici consilio ea, in quibus inter se dissentiunt auctores, nata sunt. Silentio praeteriit ille, quod Liudprandus uberrime exposuit, legationes, quas miserunt imperator et pontifex ante secundum iter Romanum a. 963 ab Ottone susceptum, et celeberrimum illud iusiurandum, per totum paene medium aevum repetitum, quo Romani se obstrinxerunt, sine Ottonis imperatoris, eiusque filii consensu, se numquam pontificem

---

1) Corp. script. med. aevi t. II. p. 1638.

2) Monument. t. V. p. 717.

3) Pertz. t. I. p. 624 sq. A Flodoardo, teste alias fide dignissimo, has res et brevius et negligentius expositas esse, ab aliis annotatum est. Jahrb. t. I., 3 p. 99.

eligere velle.[1]) De iis vero, quae apud continuatorem Reg. leguntur, de Pavia urbe ab Ottone victore occupata, de s. Leonis castello expugnato, de Berengario eiusque uxore Willa regno expulsis et in exsilium ad Bavaros missis, Liudprandus ne verbum quidem fecit.

Paucissima sunt, in quibus inter se dissentire videntur auctores, et etiam his locis in verbis magis quam in rebus dissensionem esse dixerim. Narrat Liudprandus, Joannem papam hoc dedisse iusiurandum, se numquam Berengario et Adelberto auxilium laturum esse.[2]) Quid continuator Reg.? Papam promisisse, „diebus vitae suae se numquam ab imperatore defecturum esse.“ Dixit ille,[3]) Adelbertum regem a Joanne rogatum esse, ut contra imperatorem ipsi opem ferret, quod, si sequeris continuatorem, a pontifice petiit Adelbertus. Eodem loco habet noster, eundem Adelbertum, Italia relicta, Fraxinetum ad Saracenos aufugisse; alter: „Adalbertus, huc illucque discursans, quoscunque poterat, sibi undique attraxit, sed et Corsicam, ibi se tueri nitens, intravit.“ Apud Liudprandum legimus, Joannem pecunia corrupisse Romanos, iisque b. Petri thesaurum promisisse, si, absente imperatore, seditionem in Leonem VIII. papam moverent; et dein, Joanne in urbem iterum recepto, a meretricibus papae tumultum in favorem eius editum esse, quod eo minus suspicionem movere posse videtur, quum mulieres illas non ignobiles fuisse, auctor affirmet.[4]) Verum est, silentio has res texit continuator Reg. ut Romanorum illud iusurandum. Sed nemo, credo, ex huius auctoris silentio contra alterius fidem argumentum ducat, qui secum reputaverit, ne continuatoris quidem narrationem omnibus numeris absolutam esse.

Una enim res est, et in hac rerum conversione gravissima illa, cuius neque a Liudprando, neque a continuatore Reginonis mentionem factam esse miror. Est conci-

1) c. 4, 6, 7, 8.
2) c. 3.
3) c. 4.
4) c. 17, 19.

lium, quod habuit Joannes papa d. 26 m. Febr. 964, quum in urbem Romam rediisset, quo Leonem antipapam et episcopos, qui eum ordinaverant, anathemate devovit. Et haud scio an ex hoc potissimum recte utrumque coniicias scriptorem ex imperatoris potius quam ex papae partibus stetisse, quod, alias bene instructi, silentio transierint, laudato concilio quatuordecim ex illis episcopis et presbyteris interfuisse, qui, ab imperatore deficientes, nunc damnarent Leonem VIII., ab ipsis electum, ut antea Joannem XII. damnassent.[1])

Quae si quis consideraverit, neque omnibus locis neque sine dubio auctoritati continuatoris Reginonis Liudprandi fidem eum posthabiturum esse credo. Et res ab utroque auctore diversa ratione narratae, neque ita inter se discrepant, ut conciliari non possint, neque apud Liudprandum fidem excedunt, ut in auctorem suspicio inde nascatur. Nam refutantur, ni fallor, quibus in hoc quoque libro de Berengario et de Benedicto antipapa, iniuste et asperius auctor noster egisse videbatur. Quod uno loco eum appellavit tyrannum,[2]) usitatissima est apud illos scriptores Berengarii significatio, neque moderatius aut cautius scripsit continuator Reginonis, qui eodem nomine probroso usus est. Quin Benedictum, Joannis successorem, „invasorem“ noster modera-

---

1) Cfr. acta concilii ap. Mansi conc. t. XVIII. p. 471 sq. Quatuordecim illorum qui, deserto Leone VIII., huic concilio interfuerunt, sunt nomina haec: Wido episcopus Silvae candidae, Joannes ep. Nepesinus, Romanus ep. Feretinensis, Joannes ep. Narniensis, Joannes ep. Sabiniensis, Joannes ep. Gallasensis, Joannes ep. Anagniensis, Benedictus ep. Trevicensis, Theophylactus presbyter tituli Chrysogoni, Hadrianus presbyter tituli Lucinae, Benedictus presb. tit. Sixti, Theophylactus presb. tit. quatuor Coronatorum, Stephanus presb. tit. Sabinae, Benedictus archidiaconus, Bonfilius diaconus, Dominicus presb. tit. Anastasiae. Una cum Leone VIII. damnati sunt, Sico episcopus Ostiensis, Gregorius ep. Albanensis et Benedictus ep. Portuensis. Cfr. Liudpr. hist. Otton. c. 9. et de Sigeberto Gembl. qui eiusdem synodi acta tradidit, Hirsch p. 80.

2) c. 4.

tius nominavit,[1]) ille vero „falso nomine apostolicum, sacrilegum et periurum.“[2])

Si denique tabulas publicas addideris, quibus Ottonis itinera, quorum apud Liudprandum mentio facta est, accurate comprobantur,[3]) huic auctoris libello fides denegari non posse videtur. Neque dicere dubito, sive ad res spectem sive ad accomodatam, qua eas scripsit, orationem, auctorem satis felix scribendi auspicium fecisse, quod, quomodo evenerit, nunc videamus.

II.
LEGATIO.

Libro de legatione haud parvam lucem afferunt scriptores rerum Byzantinarum, longe maiorem sine dubio daturi, nisi legationem a barbaro episcopo administratam superbia solita praeteriissent. Ex quo apparet, id tantum, cuius cognitio latius pateat, non vero, quod de laboribus Constantinopoli a se exantlatis in maiore libri parte Liudprandus exposuerit, posse illorum testimoniis confirmari.

Narrandi initium sumsit auctor, die 4 m. Junii per portam Caream urbem ingressus,[4]) a controversia, quam cum Leone curopalata et logotheta, Nicephori imperatoris fratre, habuit de imperatoris nomine ab illo Ottoni non concesso. Quum enim Nicephorus Phocas Basilium et Constantinum, infantes imperatores, Romani iunioris fi-

---

1) c. 21. 22.

2) De Berengarii tyrannide cfr. cont. Reg. 956, 960, de Benedicto 964.

3) Boehmeri regest. n. 253—281. Recte sine dubio Jahrbücher t. I, 3. p. 89 an. 8, annotatum est, tabulas, datas Cumis d. 22 Aug. 963, Boehm. n. 272, 273, ad annum praecedentem revocandas esse. Diebus enim 6 et 25 m. Aug. 962 Otto imperator in eadem urbe commoratus est. Boehm. n. 261. 262.

causa „auream“ emendare voluit Canisius; Ducangius in Constan- p. 51 e Niceta mentionem attulit κύλης ἥτις Καρέα λέγεται.

lios,[1]) quos Liudprandus ad colloquium imperatoris admissus, a sinistra eius et post tergum vidit sedentes, ex imperio deiecisset, Leonem fratrem curopalatam et magistrum creavit, ut tradidit Leo Diaconus.[2])

Ut, hac occasione data, omnes Legationis locos, quibus Liudprandus de moribus et rebus gestis Nicephori scripsit, congeram, quo melius imago eius ex auctoris mente exprimatur, huc revocabo duos alios locos, quorum uno[3]) legimus eum periurio et adulterio imperium adeptum esse, altero[4]) incestum et dominae commatrisque, ut auctoris verbo utar, coniugium ei iterum exprobratur. Quod nemini, qui scit, quae a Leone Diacono, Cedreno[5]) et Zonara[6]) de illa regni conversione tradita sunt, mirum videbitur. Quorum primus Nicephori cum Theophanone, Romani vidua, matrimonium, praeter ius initum esse dicit, quia liberos Romani e sacro fonte ille susceperit, ut iam Canisius annotavit ad c. 41. Eius quoque viri Liudprandus mentionem fecit, quem prae ceteris in illa regni conversione Nicephori fautorem fuisse, scribit Leo Diaconus. Erat hic Basilius paracoimomenos, quocum auctor de Theophanone Ottoni iuniori in matrimonium locanda egit,[7]) Romani Lacapeni nothus, vir *δραστήριός τε καὶ ἀγχίνους*, ut idem dicit scriptor Byzantinus.[8])

Audiamus nunc Liudprandum Nicephorum ipsum describentem in primo colloquio, quod cum imperatore in domo Coronaria vel *στεφάνοις* habuit.[9]) Negari non po-

---

1) Leo Diac. II, 11 ed. Hase p. 31. Ducangii familiae Augustae p. 150. Pagi critic. t. IV. p. 5.

2) III, 3 p. 49. Ducangii famil. Aug. l. l.

3) c. 52.

4) c. 41.

5) ed. Paris. p. 647.

6) p. 498.

7) c. 15—18.

8) VI, 1, 3, p. 94, 97. III, 8 p. 49. Ducangii famil. Augustae p. 148.

9) c. 3. Non satis patet, quae fuerit haec domus. Ducangius in Constant. christ. III. p. 137 fuisse palatium, vicinum oratorio Stephani, τὸ Στεφάνου coniecit.

test, auctorem miseriis, in quibus versabatur, exasperatum, in Nicephori imagine exprimenda, ut in scribenda tota Legatione, vehementiori irae et licentiae plus dedisse, quam rerum scriptorem decebat. In quo tamen haud scio an hanc excusationem Liudprando dederis, eum non rerum historiam, sed de suis, quas perpessus sit, calamitatibus ad Ottonem relationem scribere voluisse. Utut est, Nicephori mores ab homine occidentali expressi eo magis mentione digni sunt, quum aliam eiusdem imperatoris et eodem fere tempore literis mandatam acceperimus descriptionem, a viro orientali, Leone Diacono, propositam, ex quibus inter se comparatis haud parvum nobis fructum rediturum censeo.

Liudprandus[1]) dicit Nicephorum fuisse oculorum parvitate talpinum, Leo Diaconus:[2]) ὀφθαλμοὶ μέλανες ἐπὶ συννοίας πεφυντεκότες, δασείαις ταῖς ὀφρύσιν ὑποκαθήμενοι. Liudprandus, eum barba curta, lata, spissa et semicana foedatum esse, Leo Diaconus, ὑπήνη σύμμετρος ἀραιὰν παρὰ τὰς γνάθους προβαλλομένη τὴν πολιάν. Liudprandus scribit eum prolixitate et densitate comarum satis hyopem fuisse; Leo Diaconus, κομὴ δὲ βαθεῖα καὶ κυανῆ. Ille, colore Aethiopem, cui noctu nolis occurrere; hic, ὄψις αὐτῷ πρὸς τὸ μέλαν πλέον ἢ τὸ λευκὸν ἀποκλίνουσα. Ille depingit imperatorem ventre extensum, natibus siccum, coxis ad mensuram ipsam brevem, longissimum, cruribus parvum, calcaneis pedibusque aequalem; hic, ἀγκυλὸς τὴν ἡλικίαν καὶ στίβαρός, εὐρύτατος τὸ στέρνον καὶ ὤμους ὡς μάλιστα, τὴν μέντοι ἀνδρείαν καὶ ῥώμην κατὰ τὸν θρυλλούμενον Ἡρακλῆν. Ille, ingenio vulpem, periurio et mendacio Ulixem; hic, φρονήσει δὲ καὶ σωφροσύνῃ καὶ τῷ τὸ δέον ἀνεπισφαλῶς ἐπιφράσασθαι, πάντων κατευμεγέθει τῶν κατ' ἐκείνου τὴν γενεὰν γεγενημένων ἀνδρῶν.

In utraque imagine primas lineas esse easdem nemo facile negabit; aspicienti unam sponte succrescit alterius memoria; sed utraque imago animis toto coelo diversis concepta et ad diversissimum effectum adducta est. Quod ad

---

1) c. 3.

2) III, 8 p. 48.

turpitudinem et ignominiam convertit unus, in auctoritatem et dignitatem revocavit alter; unus periurum Ulixem, alter virum prudentem, reipublicae regendae scientissimum, unus satyrum vel faunum quempiam, alter augustum imperatorem depinxit. At iustior est alia quaedam vituperatio, eaque vix dissolvenda. Haud leve enim exaggerandi studium e descriptione, quam apud Liudprandum legimus, elucet, omniaque crassa Minerva expedita sunt. Virum superciliis comisque densis talpinum et hyopem, colore fuscum Aethiopem, latum pectore, ventre extensum fecit, et nihilominus, quod pro veris ficta tradiderit, accusari non potest. Cuius describendi rationis, quae suspecta et nullo modo probanda est in rerum scriptore, sed excusanda fortasse in hoc libello, quaedam exempla afferam.

In alio colloquio se patrem Nicephori vidisse scribit auctor,[1]) quem Bardam Phocam, a filio post imperium adeptum Caesaris dignitate ornatum, et nonaginta annos natum paulo ante Nicephori caedem e vita migrasse narrat Leo Diaconus.[2]) Quid Liudprandus? Nicephori patrem virum centum quinquaginta annorum sibi visum esse dicit. Idemque studium, quo res in maius extollantur, in alio loco deprehendimus, ad Nicephori mores illustrandos utilissimo, neque minus Byzantinorum scriptorum auctoritate munito.[3]) Narrat auctor eodem tempore, quo Constantinopoli commoratus sit, urbem magna fame pressam esse, quam a. 968 fuisse Baronius Cedreni testimonio probavit, et Leo Diaconus a. 970 iam per tres annos durasse confirmat.[4]) Tunc Nicephorum legimus[5]) messis tempore annonam, „possessoribus eiulantibus," minimi pretii coemisse, praesertim in fertilissimae Mesopotamiae regionibus, et, militibus contra Assyrios congregatis, quod uno aureo emerit, duobus aureis vili mercatura vendidisse.

---

1) c. 28.

2) V, 5 p. 83, 450. Cedreni et Zonarae loci apud Ducangium in famil. August. Byz. p. 149 inveniuntur.

3) c. 34.

4) IV, 8 p. 103.

5) c. 44.

In memoriam venit lepida illa historiola, quam Cedrenus et Zonaras ex nescio quo fonte hauserunt, de milite quodam sene, qui ab imperatore de aetate interrogatus, se robustiorem esse dixit, quam in iuventute fuerit; tunc ne dimidii quidem aurei tollere potuisse frumentum, nunc quod duobus aureis emtum sit, se facillime ferre. Zonaras quoque, quod dixit Liudprandus, confirmat his verbis: *ὃν (λιμὸν) εἰς οἰκεῖον κέρδος ὁ Νικηφόρος μετήνεγκε, τιμιουλκῶν τὸν σῖτον καὶ πολλοῦ τοῦτον ἀποδιδόμενος τοῖς λιμώττουσι*, et Cedrenus[1]): *ἔχαιρε μᾶλλον ἢ ἐβοήθει θλιβουμένους ὁρῶν τοὺς ὑπηκόους*. Quin Leo Diaconus, etsi cautius, eandem tamen sententiam tuitus est:[2]) *καὶ ψιθυρισμὸς ἀνὰ τὸ ἄστυ ἐχώρει, καταβοώντων τῶν ἀστικῶν, εἰ τὰς τοῦ κοινοῦ συμφορὰς ἴδια κερδῆ ποιήσειεν τῶν αὐταδέλφων ἡ ξυνωρίς, ἐς τὴν κερδαίνουσαν συνωθοῦσα πήραν τὰ τῶν πολλῶν.*

Huc usque iusta omnia et vera; quid nunc Liudprandus? Scribit octoginta millia militum ab imperatore obtentu militiae contra Assyrios esse congregatos, nulla alia causa quam ut inter ipsas copias mercatum quaestuosum institueret. Quis non videat, res a Liudprando paene dixerim inepte esse exaggeratas? Nihilominus auctori, quasi invito, excidit vera causa expeditionis contra Assyrios vel Sarracenos Syrios susceptae, quum imperatorem ipsum loquentem fecerit,[3]) se praeterito anno belli Assyrii consilium deposuisse, quod audierit Ottonem Graecorum terram invasurum esse; et addit auctor[4]) d. 22 m. Julii revera Nicephorum contra Assyrios arma tulisse. Inter Byzantinos est testis Leo Diaconus, qui res ab imperatore in Syria gestas esse narrat, eo tempore, quo sol die 22 m. Dec. defecerit, ut a Liudprando quoque et Cedreno notatum est.[5])

---

1) p. 661. Zonaras p. 206.

2) IV, 6 p. 64.

3) c. 31.

4) c. 34.

5) c. 64. Leo Diac. IV, II p. 72. Cedren. p. 662, a quo expeditionem Syriacam falso ad a. 965 revocatam esse annotavit Ritter, Geschichte des griech. Reichs. t. I. p. 530. Diem solis defectionis Baronius, Pagius, Le

Sed alius est locus de Nicephori moribus, non transeundus ille, quo Liudprandus Christophorum patricium et collegas eius fecit sic loquentes:[1]) „Nicephorus vero basileus homo ταχύχειρ, id est militiae deditus, palatium ceu pestem abhorret, et vocatur a nobis prope simultatis amator atque argumentosus, qui non pretio sibi gentes amicas, sed terrore et gladio sibi subditas facit.“ In quibus verbis facile cognosces illum, quem Leo Diaconus ἐμπειροτάτόν τε καὶ δραστικώτατον τὰ πολέμια καὶ πρὸς πᾶσαν ἰδέαν πόνων ἀνένδοτον nominat, deque quo similiter dicit ἔφρειτόν τε πάντα ἔθνη καὶ ἐτεθήπεσαν, καὶ οὐ πολέμιον ἔχειν ἀλλὰ φίλον καὶ δεσπότην ἠπείγοντο.[2]) Neque hoc verbum Liudprandi,[3]) Nicephorum omnibus ecclesiis impium fuisse, caret Byzantinorum testimonio, quum e Cedreno et Zonara sciamus, lege eum vetuisse, ne ecclesiarum praedia augerentur, episcopos designandi ius sibi vindicasse, quin militibus in bello occisis martyrum honorem tribui voluisse.[4])

Unius maioris, sed infelicissimae expeditionis, a Nicephoro susceptae, apud Liudprandum exstat mentio,[5]) quam Manuel, imperatoris nepos, αὐτανεψιόν vocat eum Leo Diaconus, et Nicetas patricius tres annos ante Liudprandi legationem, contra Saracenos in Sicilia susceperunt; bellum hoc loco praetereundum, quum iam alio loco, quomodo cum Leone Diacono, qui fusius de eo scripsit, congruat Liudprandus, propositum sit.[6]) Neque minus rebus ducum Beneventanorum et Capuanorum, qui ab Ottone in fidem recepti, ut dimitterentur, saepius postulabant Nicephorus eiusque ministri, e tabulis et scriptoribus lux ab aliis allata est.[7])

Beau hist. du Bas-Emp. t. XVI. p. 147 ad calculum vocarunt. Cfr. Hasii annot. ad Leon. Diac. p. 446.

1) c. 55.

2) V, 8 p. 89. V, 1 p. 76.

3) c. 62.

4) Cedren. p. 658. Zonar. p. 202.

5) c. 43.

6) Jahrb. t. I, 3 p. 125.

7) Murat. annal. t. V, p. 525, Jahrb. t. I, 3 p. 122.

Hactenus quae Liudprandus de Nicephori moribus rebusque ab eo gestis scripsit, Byzantinorum scriptorum testimoniis probari poterant; sed inveniuntur haud pauca, quae tali auctoritate penitus careant, aut per se non satis pateant. Non video, ut aperte dicam, quorsum spectet illa criminatio ab auctore contra imperatorem prolata[1]) „Nonne sanctissimorum paparum alii sunt relegati, alii a te afflicti, ut neque quotidianos sumtus nec elemosinam habere quirent?“ Nec minus testibus carent contumeliosae Adelberti literae ad Constantinum datae, neque constat aliquid de Graecis legatis, qui interfuerint, quum idem una cum patre Berengario ab Ottone regnum Italiae susciperet,[2]) aut de Bulgarorum legato, Constantinopolim misso, cui se, christianum episcopum et imperatoris legatum, posthabitum esse magno cordis dolore narrat auctor.[3]) Quibus accedit summa illa perfidia, cuius laqueis cum Ottone una Adelbertum et fratrem eius irretire volebat Nicephorus;[4]) nova clades in Sicilia a Saracenis,[5]) altera ab Hungaris[6]) accepta; Joannis XIII. pontificis ad Nicephorum legatio,[7]) et Polyeuctae, quem Patriarchum tunc fuisse confirmat Leo Diaconus, literae ad Hydruntinum episcopum, de divinis mysteriis in Apulia et Calabria non latine, sed graece celebrandis.[8]) Quae omnia etsi ab aliis testibus non confirmata, quum nihil habeant, quo fidem offendant, nemini facile, opinor, scrupulum iniicient.

Ex aliis quibusdam rebus, quas, Romani I. imperatoris tempore factas, leviter tantum tetigit Liudprandus, non possum, quin unam paucis absolvam; vile eius pactum cum Alberico principe de pallio a papa Theophylacto, impera-

---

1) c. 5.
2) Ibid.
3) c. 19—21.
4) c. 30.
5) c. 43.
6) c. 45.
7) c. 47.
8) c. 62.

toris filio, mittendo.[1]) Quod etsi ipsis aliorum auctorum verbis probari non potest, scimus tamen ex ipsius Constantini eiusque continuatoris libris, illum iuvenem eunuchum a. 933 patriarcham a patre esse constitutum, praesentibus papae legatis, qui eum in patriarchae sede collocaverint.[2]) Duplicis denique matrimonii mentioni, Petri, Bulgarorum principis cum Romani nepte, et Romani iunioris cum Hugonis regis filia, accommodatior locus non deerit.[3])

Exceptis his partibus, pauca sunt, quae comparando examinari non possint. Spectant enim haec sive ad res adversas et calamitates, quibus se prope enectum esse narrat auctor, sive uberior est de Hippolyti, Siciliensis episcopi, libris fatidicis explicatio,[4]) quorum mentionem nusquam invenire potui, sive denique publicarum pomparum descriptio, ut pentecostes festi,[5]) quacum Pertzius Constantini Porphyrogeniti librum de caerimoniis aulae conferri iussit, cui addi potest eiusdem festi descriptio, quae apud Codinum Curopalatam legitur.[6])

IV.

ANTAPODOSIS LIBER SEXTUS.

Legationi, e commentationis meae consilio, Antapodosis liber sextus subiungendus est, qui primam auctoris legationem Constantinopolitanam continet. Praetermissis iis, quae in hoc quoque libro ad solam Liudprandi vitam spectant, in capite quinto Magnaurae palatii tenemus mentionem, quo

---

1) c. 62.

2) De caerim. aulae II, 34 p. 635. Theophan. cont. VI, 34 ed. P. p. 264. Krug Chronologie der Byzantiner p. 175.

3) c. 7, 16, 19.

4) c. 39—43.

5) c. 9.

6) De caer. aul. I, 9. II, 52. p. 775. Codinus de official. palatii Constant. ed. Bekker. ed. P. p. 108.

legati excipi solebant, et arborum inauratarum, avium canentium et leonum rugientium, quibus solium imperiale erat exornatum, descriptionem, quae omnia maximum hominis occidentalis stuporem movebant. Quem splendorem Constantinus imperator in libro utilissimo de caerimoniis aulae ita accurate descripsit, ut comparationis causa verba eius hic apponere liceat.[1]) Caerimoniis enim descriptis, quibus introduci solerent legati, quod cum Liudprandi narratione optime consentit, sic pergit: *καὶ ποιοῦντος τοῦ λογοθέτου τὰς συνήθεις ἐρωτήσεις εἰς αὐτόν, ἄρχονται βρυχᾶσθαι οἱ λέοντες καὶ τὰ ὄρνεα τὰ ἐν τῷ σέντζῳ, ὁμοίως καὶ τὰ ἐν τοῖς δένδρεσι ᾄδειν ἐναρμονίως· τὰ δὲ ζῶα τὰ ἐν τῷ θρόνῳ ἀπὸ τῶν ἰδίων βαθμῶν ἀνορθοῦνται.* His aliisque miraculis a viro artis mechanicae rudi summo cum stupore spectatis, dona, *τὸ ἐθνικὸν κανίσκιον*, a se Berengarii nomine data, descripsit.[2]) Sed de Magnaura unum est, quod moneam, ne quis Liudprandum in constituenda illius vocis etymologia, qua cum magna aura confunditur, sibi indulsisse credat. Laudatur enim a Ducangio Codini locus, quo idem legitur; exclamasse Anastasium quendam fulmine tactum, *ὦ Μαναῦ ὑπὸ αὔρας ἀπόλλυμι, καὶ διὰ τοῦτο ἐκλήθη ὁ τρίκλινος Μαναῦρα.*[3])

Quod de palatio novendecim accubitorum legimus,[4]) praeterire possum, quum Graecorum scriptorum locis a Ducangio collectis satis illustratum sit; quibus adiici potest Constantini Porphyrogeniti descriptio.[5]) Nusquam tamen invenitur mentio stipendii erogationis, in qua nescio quo fato auctor compulsus calamum abiecit.[6])

Hac parte rerum absoluta, quas Liudprandus a se

---

1) II, 15 p. 568.

2) VI, 6.

3) Const. christ. II. p. 128. Anonymi antiq. Const. ap. Bandurium imp. or. I. p. 10.

4) VI, 7—9.

5) II, 52 p. 744. Const. christ. p. 135.

6) De singulis aulae officiis, quorum hic mentio facta est cfr. de caerim. aul. II, 52 et Codinum Curop. et de erogatione, quae sub voce *βαια* in glossario Ducangius disseruit.

ipso, imperatorum et regum ministro et adiutore, gestas posteritati tradidit, negari non potest, eum non penitus explevisse bonam spem, quam Ottonis historia in rebus scribendis de se fecerat. Iniuste sane dicat aliquis falsa fictaque eum scripsisse, quum, quae ad Byzantinorum scriptorum normam revocari poterant, satis probata invenerimus; neque nova et inaudita tradidit Liudprandus, quae omnem fidem superarent; at tale rerum scribendarum fundamentum et principium reperimus, quod moneat, ut diligenter tantum examinatis fidem habeamus. Hic is est animus, quo auctor res concepit calamoque reddidit. Vivido eum fuisse ingenio in Legatione videmus, tamque facile animi ardore et impetu abreptum, ut, etsi eum vera tradere voluisse non nego, tali modo res, crediderim inscius, describeret, qualem a vera rerum specie abhorrere dicas oportet.

CAPUT TERTIUM.

DE ANTAPODOSIS LIBRIS IV ET V, IN QUIBUS AUCTOR RES SUO TEMPORE GESTAS DESCRIPSIT.

I.

RES ITALICAE.

ANTAPOD. IV, 2—13.

Antapodosis libros quartum et quintum minore, si vis, munitus praesidio conscripsit Liudprandus, quam sextum, quum rebus publicis se interfuisse quidem, sed ad consilia ipsa non esse adscitum, partim auctor de se profiteatur, partim vitae eius ordo doceat.

Transeo igitur ad eas res, quas primo loco posuit auctor, ad Lotharii regis principium.[1]) Quo tempore Hugo, rex Italiae, Lotharium filium, ex Alda coniuge[2]) susceptum, re-

---

1) IV, 2.

2) Alda amantissima et carissima coniux nominatur in Hugonis tabulis 16 Sept. 930, Murat. ant. Ital. t. II. p. 938, Boehmer regest. Carolorum 1386, et 28 Fbr. 932, Affo Parma t. p. 338. Boehmer 1387; a Lothario rege mater vocatur 14 Jun. 948, Murat. ant. It. t. V. p. 559. Boehm. 1427. An e Teutonicorum genere, ut legitur III, 20, originem traxerit, quum desint testes, ad liquidum perduci nequit. Eandem Aldam recte sine dubio Muratorii interpres German. t. V. p. 398 in corrupto Hildae nomine comprehendere sibi visus est, quod in Hugonis marchionis literis de monasterio Viennensi invenitur, Bouq. t. IX. p. 689. Eadem tabula docemur, Hugonem cum Willa quadam, priore matrimonio fuisse coniunctum, quam Scheidius, Orr. Guelf. t. I. p. 71, Conradi, Burgundiae regis, filiam, mera coniectura

gem constituerit, eo maior inter prioris temporis viros doctos, Sigonios, Rubeos, Pagios, et Saxios erat controversia, quo negligentior est in tempore significando Liudprandus, et quo rariores tabulae publicae adscisci poterant. Quarum ex uberiore messe primus Muratorius Lotharii regni initium in mense Majo 931 constituit, quod postea Lupus arctioribus cancellis dierum 12—15 eiusdem mensis, novis tabulis adiutus, recte circumscripsit.[1])

Lothario rege constituto, narratione pergit auctor,[2]) Hugonem e Roma urbe contumeliose eiectum, arma inferre coepisse Alberico, principi Romanorum, quod a. 932 factum esse praeter Flodoardi locum,[3]) a Muratorio laudatum ex alio argumento coniici potest. Vixit enim m. Februario a. 932 Alda,[4]) qua mortua, Marociam ab Hugone rege uxorem petitam esse, narrat auctor.[5])

Quod non accurate voce „denique" indicavit Liudprandus tempus, quo Hugo rex ab armis ad dolum conversus, Aldam filiam Alberico uxorem dederit, e Flodoardo, qui hoc a. 936 factum esse scribit, annotatum est.[6]) Quae pax quam male cesserit, praeter nostrum[7]) idem Flodoardus dixit ad a. 942. Hanc enim discordiam inter principes an. 938 fere iterum exortam esse, et rerum ordo significare videtur et S. Odonis vita fidem facit. Cuius sanctissimi viri a Liudprando nullam factam esse mentionem, eo magis mirari

---

fecit. Cfr. Eccardi Orr. Habsb. p. 71. De Alda regina haud inutilia tradita sunt a monacho Bobbiensi, Hugonis aequali, in Mabillon act. sanct. saec. II. p. 44. Cfr. Murator. ann. l. l.

1) Cod. dipl. Bergom. t. II. p. 190. Tabulae Lotharii regis nomine signatae, propter notas chronologicas sibi repugnantes, vix inter se conciliari possunt, ita ut Saxius duplicem numerandi rationem adhibitam crederet, quod inexplicabilis confusionis initium reiecerunt Muratorius et Lupus. Chron. Cavens. ap. Pratill. t. IV ad 931: Lotharius, filius Hugonis, fit consocius regni in Italia cum consensu papae Stephani.

2) IV, 2, 3.

3) Ann. 933. Pertz. t. V.

4) Flodoardi hist. Rem. IV, 24 et tabulae in an. 2 p. 42. laudatae.

5) III, 44.

6) Murat. ann. t. V. p. 407. Martinii comment. p. 29.

7) V, 3.

subit, quo maiorem operam in pace inter Hugonem et Albericum componenda posuit a. 936, 938 et 942, ut e vita sancti viri satis patet.[1])

Inter Alberici et Aldae nuptias Saracenos Fraxinetinos ad Aquas usque depopulantes venisse, et Genuam urbem ab Africanis cruentissime direptam esse, solus nobis auctor est Liudprandus,[2]) quas christianorum clades cum Alberico Trium fontium monacho ad a. 935 Muratorius retulit. At haud scio an Flodoardum sequamur, qui Aquarum nomine suppresso, a Saracenis ex Allemannia, quo usque penetrassent, revertentibus, multos homines, Romam proficiscentes a. 936 interemtos esse narrat.[3])

Eodem tempore, pergit auctor,[4]) Manassem, archiepiscopum Arelatensem, cum Hugone propinquitatis vinculo coniunctum, maiora petiturum in Italiam venisse, et a rege tres episcopatus, Veronensem, Tridentinum cum marca, et Mantuanum accepisse. Et revera Manassem Theutbergae, regis sororis, fuisse filium, docent chartae quaedam donationis, ut annotavit Scheidius, quas Manasse pro anima patris, Warnerii comitis, Theutbergae matris, et Hugonis, Richardi et Bosonis fratrum scribi iusserat. Alia quaedam eiusdem viri tabula, data est a. 923 „petente Hugone prin-

---

1) Pagius crit. t. III. p. 837 numerum 938 pro altero 939, qui in vita Odonis, Mabill. act. sanct. saec. V. p. 151 exstat, argumentis non reiiciendis restituit. De reliquis annis cfr. Flodoard. ann. Cur Muratorius ann. t. V. p. 426 duo tantum itinera Odonis statuerit, non probavit; neque video, cur Odonis iter a. 936 in Italiam factum in suspicionem vocaverit. Legimus in vita Odonis p. 133, eo tempore, quo Odo Romam pergeret, apparuisse Adhegrimo, homini solitario, S. Martinum, dicentem eodem tempore Ludovici, regis Francorum, ordinationem esse factam, quem a. 936 consecratum esse constat. Cfr. Boehmeri reg. Carol. p. 189. Idem annus placuit Baronio, Mabillonio, ann. Bened. t. III. p. 431, 444, et Pagio.

2) IV, 4. 5.

3) Alia, quod sciam, testimonia huius caedis non exstant. Verba enim Petri bibliothecarii a Pagio t. III. p. 834. prolata, e Liudprando descripta esse, neminem latebit.

4) IV, 6.

cipe nostro avunculo."[1]) Archiepiscopus, si fides Liudprando habenda est, circa a. 934—936 episcopatus cumulaturus in Italiam venit. E Ratherii quoque, Manassis et Liudprandi aequalis, epistola, ad Joannem XII. pontificem data,[2]) patet Hugonem de Manasse Arelatensi ad cathedram Mediolanensem promovendo iam priore tempore cogitasse. Hunc ipsum vero Ratherium, quem rex a. 935 e sede Veronensi deiecit, iam a. 932, quo episcopus consecratus erat,[3]) expellere studuit. Neque alio tempore Mantuanam ecclesiam, vacuam tunc possessionem, sibi arrogavit, si fides habenda est Visio, qui nescio quibus praesidiis munitus, Egilulfum, episcopum Mantuanum, a. 934 obiisse contendit. Nihilominus rex non sine negotio Mantuanis Manassem suum obtrudere potuisse videtur, quum exstet Lotharii regis tabula a. 945 scripta, in qua, illo vivente, Petrus invenitur episcopus Mantuanus.[4]) Quibus rebus e tabulis publicis maiorem lucem afferri non posse valde est dolendum; in iis enim, quas perlegi, Veronensium, Mantuanorum et Tridentinorum chartis aut nullam aut raram Manassis mentionem deprehendi. Hoc saltem effecerunt Sammarthani, ut Manasse cathedram Arelatensem retinuerit, quum in Italiam proficisceretur.[5])

---

1) Sammarthan. Gallia christ. t. I. Instr. p. 93, 549. Scheidii Orr. Guelf. I. p. 73. Histoire de Languedoc t. II. p. 49.

2) Ratherii opera ed. Ballerini p. 537 sq. Has literas, a. 951 vel 952 ab auctore ad Agapetum II papam scriptas, dein vero, mutato consilio, postea ad Joannem XII datas esse, dilucidis argumentis evicerunt editores l. l.

3) Cfr. quod de hoc tempore in praefatione ad Ratherii opera editores disseruerunt, p. XXXIX. sq. De Ratherii deiectione cfr. paulo infra Cap. IV, 3.

4) Visi storia di Mantova t. I. p. 305, 312, 315.

5) Ut elucet e tabula quadam Manassis de rebus ecclesiae Arelatensis scripta. Gallia christ. t. I. Instrum. p. 549. Accedit Ratherii auctoritas, qui in epistola supra laudata scribit p. 542, Manassem quinque episcopiis praefuisse, i. e. tribus supra nominatis, Mediolanensi, de quo suo loco disseram, et Arelatensi. Hanc cathedram ab eo a. 914 esse adeptam, ut voluerunt Sammarthani p. 131, probari nequit, ut annotarunt auctores libri, histoire de Languedoc, quibus placuit a. 911. Prima quam habeo Manassis mentio est in charta quadam Ludovici imperatoris Febr. 921. Bouq. t. IX. p. 686. Boehm. 1481.

Sed relicto Manasse et Berengario et Anscario fratribus praeteritis,[1]) de quibus fusius disserendi locum accomodatiorem liber quintus afferet, ad Theobaldum, Camarinorum et Spoletinorum marchionem, transeo.[2]) Huius viri memoria eiusque cum Hugone affinitas ab uno nostro auctore, quod sciam, servata est. Alius enim est Theobaldus, Bonifacii marchionis filius, qui a. 946 in scriptis Farfensibus invenitur.[3]) Eo magis tenenda sunt rara illa vestigia, quibus in tanta rerum obscuritate Liudprandi narrationi lux quaedam afferri potest. Scimus enim Landulfum, Beneventanum principem, ad cuius auxilium profectus erat Theobaldus, in Italia inferiore cum Graecis saepius conflixisse; sed unum est ex his bellis, cuius memoria ab Italicis scriptoribus non tradita,[4]) apud Constantinum Porphyrogenitum invenitur. Hic enim, quod e Liudprando coniici potest[5]), pro certo tradidit, ind. 8 i. e. a. 935,[6]) a Romano in Italiam missum esse Epiphanium protospatharium ut Landulfum et Atenulfum fratres, Waimarum et Waifarum itemque fratres aggrederetur *καὶ πάντας τοὺς ἀποστατήσαντας Λαγοβάρδους ἀπὸ τοῦ θέματος Λαγοβαρδίας*. Epiphanio splendidissima dona erant data, quibus Hugonis regis et aliorum auxilium compararet, et nonnulla alia *λόγῳ τοῦ κόμητος καὶ μαρκησίου τοῦ αὐτοῦ ῥηγός, τοῦ πλησιάζοντος τὸ θέμα Λαγοβαρδίας*, quae verba nisi ad Camarinorum marchionem, ad quem alium pertinere possint, non video. Haec expeditio

---

1) IV, 7.

2) IV, 8, 9.

3) Murator. script. Ital. II, 2 p. 302. Beretti chorograph. medii aevi ap. Murat. t. X. p. CCXLIV. annum 946 falso adscriptum esse coniicit, et hunc Theobaldum fuisse Bonifacii filium censet.

4) Ad a. 921, 929, 940, 942 bellorum facta est mentio a Lupo Protosp. in chron. Cavens. et Saraceno-Calabro ap. Pratillum t. IV. p. 21, 410.

5) IV, 10.

6) De caerim. aulae II, 44 p. 661. Altera quae in Romani imperium incidit indictio 8 est a. 920, quo tempore Hugo nondum rex Italiae erat. Romanum a Beneventanis principibus imperatorem non esse agnitum, probare videntur tabulae eorum a. 934 et 936 scriptae, quae unius Constantini nomine signatae sunt. Cfr. Peregrin. ad Lupum Protosp. ed. Pratill. t. IV. p. 22. Murat. script. t. I, 2 p. 419.

ante mens. Sept. a. 935 facta est, quo tempore iam Anscarius Camarinorum erat marchio, ut e tabula publica apparet.[1]) Theobaldus igitur, si quid video, iam ante illum mensem mortuus erat.

Eodem tempore narrat Liudprandus,[2]) ab Hugone rege Bosonem fratrem e Tusciae marchionatu esse deiectum, custodiaeque propter novas quasdam res traditum. Quae bene cadere in Flodoardi verba ad a. 936, Hugonem fratrem suum dolo cepisse „repertis quibusdam contra se, ut fertur, insidiis," iam a Muratorio et Martinio observatum est.[3]) Quae vero fuerint illae insidiae, neuter scriptor literis mandavit, itaque haud scio an Muratorii sententiam amplectar, maligne inventas esse illas insidias ab ipso Hugone, ut loco fratris Hubertum, filium nothum, Tusciae marchionem statueret. Neque minimi momenti sunt illae Flodoardi voces „ut fertur;" quum enim apud Liudprandum nihil tale inveniatur, auctorem deprehendimus pro exploratis res narrantem, quas alii scriptores, fide non indigniores, rumores fuisse dicunt. Bosonis haud rara mentio in publicis diplomatis facta est, ab a. 911, quo eum in Ludovici imperatoris aula versantem videmus, usque ad mens. Julium an. 936, quo „marchio et dux in Luca" nominatur.[4])

Willae, Bosonis uxoris, de cuius avaritia spurcissimam historiolam inseruit auctor,[5]) neque duarum e quatuor eius filiabus, Richildae aut Giselae mentionem inveni. Eo peius tertia filia, Willa, Berengarii iunioris uxor, a multis illius temporis scriptoribus audit, cui et hoc loco hanc inussit in-

---

1) Muratori ant. It. t. II. p. 935. Boehm. 1395.

2) IV, 10.

3) Murat. annal. t. V. p. 409. Martin. Comment. p. 29.

4) Bouq. t. IX. p. 685. Boehm. 1478. Fiorentini memoria della grancontessa Matilda p. 400. Praeterea Boso invenitur a. 920, Bouq. t. IX. p. 686; a. 932, Orr. Guelf. t. I. p. 242. B. 1389; a. 933, Murat. ant. It. t. V. p. 237, B. 1390; a. 935 Fiorentini l. l. In omnibus tabulis, prima excepta, marchio appellatur. Ultima fata eius non liquent.

5) IV, 11. Nescio quibus praesidiis usus Duchesnius hist. de Bourg. p. 145 coniecerit hanc Willam e domo Burgundica fuisse oriundam.

famiam auctor, eam effecisse, ut genitrix omnium mulierum non esset nequissima. Bertham fuisse Hugonis neptem in tabula data a. 960[1]) profitetur ipsa; quam, quum Bosonis Arelatensis vidua esset facta, Raimundo, Aquitaniae principi, nupsisse, et narrat Liudprandus et confirmant plures tabulae.[2])

A turpi illa de Willa narratione ad Hugonis vitam privatam, non minus turpem, et ad liberos eius enumerandos transit Liudprandus,[3]) morte Rudolfi, regis Burgundionum annotata, quam, quod cum rerum ordine bene congruit, die 4 m. Sept. a. 937 accidisse scimus.[4]) Cuius viduam, Bertham, ab Hugone, post Aldae mortem, in matrimonium ductam esse dicit auctor, oblitus, paene dixerim, quod de Marocia, tanquam Hugonis uxore, scripserat,[5]) nisi statuere malis hanc interea esse mortuam, aut cum Muratorio coniicere, Hugonem Roma expulsum, hoc quoque matrimonium irritum fecisse. Hugonem revera a. 937 Bertham viduam, Lotharium filium Adelheidam filiam duxisse, non modo Constantinus Porphyr. multique alii comprobant scriptores, Flodoardus, Roswitha, cont. Regin. annal. Quedlinb., Odilo, sed etiam pacta dotalia, ad nostra usque tempora servata.[6])

Vel sic Hugonem nullo freno coercitum, in vitam libidinosam fuisse effusum, haud parvus spuriorum filiorum numerus testatur, quos ex eo esse genitos publicis tabulis aliisque testimoniis docemur. Praeter illustrissimum Wandelmodae filium, Hubertum, Tusciae marchionem,

---

1) Histoire de Languedoc t. II. p. 102.

2) V, 31. Quis fuerit ille Boso, num frater Rudolfi, regis Franciae, ut voluerunt auctores hist. Langued., non satis liquet. Raimundum vero non confundendum esse cum comite Tolosano eiusdem nominis, iidem demonstrarunt p. 539 contra Mabillonium, et Bertham sub initium saeculi XI. mortuam esse coniecerunt p. 141.

3) IV, 12, 13.

4) Jahrb. I, t. 2 p. 46.

5) III, 44.

6) De administr. imper. c. 26 ed. P. p. 82. Pertz t. I. p. 621. t. V. p. 58, 401. Meibom. t. I. p. 719. Leibnitii script. t. I. p. 262. Tabulam, Orr. Guelf. t. II. p. 141, Boehm. 1400, ad a. 937, non ad a. 938, ut mendose legitur, esse revocandam docet Muratorius annal. t. V. p. 449.

quem[1]) in tribus deprehendimus tabulis a. 935, 942 et 944,[2]) invenitur nostro loco Bezolae filius, Boso, episcopus Placentinus, quem patris archicancellarium fuisse e tabula a. 945 videmus.[3]) Alium ex nothis, quem Theobaldum, Stephaniae filium et archidiaconum vocat Liudprandus, Arnulfus Mediolanensis confirmat, Hugonem Mediolanensi ecclesiae archiepiscopum obtrudere voluisse, sperantem fore, ut Ardericus archiepiscopus, summa senectute confectus, brevi moreretur.[4]) Quartum eiusdem sine dubio notae filium Gotefridum inter ditissimae Nonantulanae abbatiae monachos recipi, et paulo ante ipsius expulsionem, Gerlone abbate mortuo, abbatem eligi iussit.[5]) Ex tribus denique regis concubinis nostro loco nominatis, Rozae nomen, Walperti filiae, qui Hugoni insidias struxerat, Giselberti, comitis palatii coniugis, ut narrat auctor,[6]) in tabula quadam, quam ipsa Roza ann. 959 scribi iussit, inveni, qua bene omnia comprobantur.[7])

---

1) III, 20.

2) Murat. ant. Ital. t. II. p. 935. Ughelli Ital. sacra t. II. p. 262, t. I. p. 550. Boehm. 1395. 1411.

3) Campi storia di Piacenza t. I. p. 488. Boehm. 1418. Prima eius fit mentio 28 Mart. 941, Murat. ant. It. t. V. p. 230. Boehm. 1404, ultima 25 Jan. 945. Orr. Guelf. t. I. p. 70. B. 1416.

4) Murat. script. Ital. t. IV. p. 8.

5) Codex Nonantul. Tiraboschi. t. II. p. 7. Cfr. Barberinii excerpt. Nonant. in Murat. ant. Ital. t. V. p. 675. Mabillon ann. Bened. t. III. p. 487.

6) III, 39.

7) Lupi cod. dipl. Berg. t. II. p. 247: Ego Rotrada, quae et Roza comitissa, b. m. Walperti iudicis filia et relicta quondam Gisilberti comitis palatii etc.

II.

RES ITALICAE.

ANTAPODOSIS V, 4—13; 16—19; 26—33.

Alterum libri quarti dimidium, res Germanicas continens, quibus Liudprandum ne potuisse quidem interesse infra videbimus, in aliam commentationis partem reiiciam; nunc ad librum quintum transeo, in cuius capite quarto Anscarii marchionis exitum legimus. Hunc virum et Berengarium iuniorem Adelberti, Eporegiae marchionis, fuisse filios, et scribit Liudprandus et chartis publicis a. 935 et 945 datis confirmatur,[1]) quibus addenda est tertia, qua Rudolfus, rex Burgundiae, fratribus illis filiorum nomen imposuit.[2]) Ermengardam, Hugonis regis sororem, Anscarii fuisse matrem, tribus tabulis a. 926, 930 et 932, non minus munitur.[3])

Quae si bene se habent, haud levem quod sequitur iniiciat tibi dubitationem, quomodo Hugo rex Anscario nepoti, qui in suspicionem, quin rerum potiri vellet, incurrisset, haud parvum marchionis Camarinorum munus nulla alia causa tradere potuerit, quam ut ille e conspectu removeretur. Exstat enim tabula quaedam, e qua regem et Anscarium m. Sept. a. 935 uni eidemque concilio interfuisse videmus, nec non Sarilonem, regii palatii comitem, quem, ut il-

---

1) Muratori ant. It. t. II. p. 940. Boehm. 1395: Anscarius marchio quondam Adelberti, idemque marchio filius. Lupi cod. dipl. Berg. t. II. p. 205. B. 1419: Berengarius filius b. m. Adelberti, illustris marchio. In alia tabula quadam ap. Murat. ant. It. t. I. p. 455. legimus: Berengarius nepos et missus domini et gloriosissimi Berengarii, serenissimi imperatoris, avio et senior eius, qui in comitatu Mediolanensi ab ipso imperatore missus esset constitutus tanquam comes et missus discurrens etc. Dat. an. Bering. imperatoris 3 m. Aprili. Ind. 4.

2) Giulini memorie spettanti alla storia di Milano t. II. p. 163 huius tabulae mentionem fecit.

3) Murat. ant. It. t. I. p. 411. Boehm. 1373. Ibid. t. II. p. 938. B. 1386. Affo Parma t. I. p. 338. B. 1387.

lum expelleret, missum esse auctor narrat.[1]) Eadem tabula docemur Anscarium hoc munere iam a. 935 functum esse, quem ex Liudprandi rerum ordine a. 940 fere marchionem constitutum esse exspectabas. Reliqua de eiusdem viri exitu narratio in universum satis consentit cum scriptis Farfensibus, monumentis aetate quidem posterioribus, sed solis, quod sciam, in quibus harum rerum memoria servata est.

In ducum enim Spoletinorum et abbatum Farfensium indicibus legimus Anscarium marchionem obiisse a. 940, et ad a. 943 Sarilonis, modo marchionis modo abbatis, nomen invenimus.[2]) Quod vero Gregorius monachus in chronico Farfensi, saeculo duodecimo ineunte composito, de Camarinorum rebus confusius narravit, quam ut uberior inde fructus percipi possit, iustius vitio vertemus, quem presso pede secutus est, Hugoni abbati Farfensi. Qui in opusculo centum annis ante de destructione monasterii Farfensis conscripto[3]) contentione quadam de marca Firmana inter Anscarium et Sarilonem exorta, illum occisum esse, hunc marchionatum obtinuisse, tradidit. Recte quidem, et cum Liudprando congruenter; in quo vero gravius Hugo lapsus est,[4]) ex hoc nemo Liudprandum, rebus aequalem, iudicare volet. Haec fere sunt, quae de Anscarii vita et exitu afferri possunt; paucissima quidem, sed ne sic quidem penitus reiicienda. In reliquis, quorum unus auctor est noster, de fatali Anscarii proelio, nihil facile invenies, quod scrupulum tibi iniiciat.

---

1) Murat. ant. It. t. II. p. 935. Boehm. 1395. Affo Parma t. I. p. 340. Sarilo quidam in charta Hugonis marchionis de monasterio Viennensi scripta invenitur. Bouq. t. IX. p. 689.

2) Murat. script. Ital. t. II, 2 p. 295, 297, 303. A Farfensibus abbatem quendam Sarilonem cum marchione eiusdem nominis confusum esse, coniicit Murat. ann. t. V. p. 420.

3) Murat. ant. It. VI. p. 276.

4) Putat Anscarium fuisse Hugonis fratrem, de quo rex a Sarilone voluerit ultionem petere; commissum esse illud proelium post Alberici principis mortem 954, et alia huiusmodi. Cfr. Beretti p. CCXLI. Sarilonem a. 943 illam marcam tenuisse docet Muratorius ann. t. V. p. 432 e tabula quadam, ap. Ughellium t. I. p. 550, data 944 „temporibus Huberti filii eius (Hugonis), incliti marchionis et piissimi ducis, a. 2 per ind. 2, in civitate Camarina.“

Hisce proeliis auctor subiunxit[1]) devastationes a Saracenis in montibus, qui claudunt Italiam, factas; quas caedes a. 940 perpetratas esse probavit Flodoardus, et annotarunt Muratorius et Martinius. Eosque praedones Hugonem regem aggressum esse, ut narrat Liudprandus, ad a. 942 idem Flodoardus tradidit.[2])

Berengarii iunioris quoque ad Ottonem regem fuga, quae sequitur,[3]) in nulla paene alia nisi in Liudprandi narratione nobis relicta est. Una tamen gravis, quae inest, marchionis accusatio, Lotharium, filium Hugonis, regem iuvenem ab eo esse necatum, Flodoardi testimonio confirmari, aut si mavis, in dubium vocari potest. Hic enim literis mandavit, a Berengario Lotharium regem veneno necatum esse a. 950, sed caute addidit verba „ut ferunt.“[4]) Quam facile tales de Berengario suspiciones nasci potuerint, videt unusquisque; Lothariique amicos, ne tale quid accideret, veritos esse, Constantini imperatoris ad Berengarium legatio de Lothario servando satis docet.[5]) Ab altera tamen parte certum Roswithae testimonium, Lotharium gravi morbo esse abreptum, Flodoardi dubitatio et reliquorum scriptorum silentium nobis persuadere videtur, auctorem hoc quoque loco vulgari rumori plus iusto tribuisse.[6])

In reliquis non credo inveniri posse, quod a verisimilitudine abhorrens, fide minus dignum videatur; aut in iis, quae de Amadeo, Berengarii speculatore in Italiam profecto, legimus; in cuius itineris tempore definiendo, a. 943, Muratorius ad veritatem proxime accessisse videtur. De Hungaris ab Hugone rege eodem fere tempore in Hispaniam missis, accuratius nihil statui potest.[7])

Rerum conversionem, quam a Berengario ab exsilio re-

---

1) V, 9.
2) Pertz t. V. p. 388, 389.
3) V, 10—13.
4) Pertz t. V. p. 400.
5) VI, 2.
6) Murat. ann. t. V. p. 447. Jahrb. t. I, 3 p. 6.

deunte factam esse legimus,[1]) a. 945 accidisse testantur chron. Cavens. et Flodoardus,[2]) et clarius diploma quoddam d. 13 m. April. ostendit, quo marchio vasallo cuidam cortem dono dedit.[3]) Berengarium vero illius viri proditione maxime adiutum esse, qui inauditam potestatem Hugoni deberet, Manassis archiepiscopi, Mediolanensis cathedrae pretio corrupti, probat Ratherius. Scribit enim ad Joannem pontificem,[4]) timuisse Milonem, comitem Veronensem, ne Manasse „poenitentia ductus iuvaret, quem plurimum, ut fertur, nocuerat, avunculum regem," quem Hugonem esse nemo non videt. Et idem dicit eodem loco, „comprehendit me Berengarius, instinctu Manassis, sanctissimi archiepiscopi, ut qui iure obtineat locum Ambrosii." Cui subiungere possumus Arnulfum Mediolanensem et catalogos archiepiscoporum Mediolanensium,[5]) e quibus apparet proditorem illum non cum pace tenuisse emtam cathedram, sed diu de adipiscenda ea cum Adelmanno, quem creaverant clerici, contendisse. Ab Arderico quoque, archiepiscopo sene, qui mortuus est a. 948. Berengarium Mediolanum vocatum esse, nemo mirabitur, qui apud Arnulfum legerit, quibus contumeliis a rege Hugone affectus sit.[6]) Et quin Milo, comes Veronensis, ab Hugone defecerit, ut refert auctor,[7]) nemo credo dubitabit, qui Ratherii testimonium in memoriam revocaverit; neque a veritate ea abhorrere videntur, quae de dolo, qua comes luserit custodes, leguntur.

Quos Widonem, Mutinensem episcopum, secutum esse,

---

1) V, 26—31.

2) Peregrin. ed Pratill. t. IV. p. 413. Pertz t. V, p. 392, 393.

3) Tiraboschi Nonantula 117. Boehm. 1419.

4) Opp. ed. Ballerini p. 540.

5) Cfr. catalog. archiepiscoporum Mediolan. in Mabillonii museo Ital. t. I. p. 109, Murat. script. Ital. t. IV. p. 141. Ughellii Italia sacra t. IV. p. 92.

6) Saxii series archiep. Mediol. t. I. p. 346. Giulini t. II. p. 221, 225. Exstat tabula quaedam Lotharii regis, data a. 950, in qua Manasse venerabilis archiepiscopus noster vocatur. Ughelli t. V. p. 276. Boehm. 1429.

7) V, 27.

e privilegiis, ei Berengario deprecante datis a. 947 et a. 951[1]) coniici posse videtur; eumque, ut narrat auctor, abbatiam Nonantulanam, proditionis praemium obtinuisse, testatur Barberinii codex Nonantulanus.[2]) Horum et multorum aliorum defectionem eo denique rediisse, ut Hugo a. 945 regno expulsus et iterum receptus, anno sequente Italiam reliquerit, Liudprandus uberius exposuit,[3]) et Flodoardus probavit.[4]) Vel sic tamen multum abest, ut omnia, quae de his rebus scripsit auctor, aliorum testimoniis probari possint; id saltem ab eo verissime dictum est, ab hoc tempore Berengarium fuisse nomine marchionem, potestate regem, legitimos vero reges „vocabulo tantum fuisse reges.“ Locuples enim est testis Lotharii tabula a. 948,[5]) in qua Berengarius appellatur „inclitus marchio, regnique nostri consors.“

Inter eos, qui iam hoc tempore Berengarii perfidiam experti sunt, praeter Josephum, episcopum Brixianum, habet Liudprandus Adelardum, ab illo Regiensem episcopum factum. In cuius mentione Muratorius auctorem erroris convincere voluit, literis quibusdam d. 1 m. Jan. 945 scriptis fretus, e quibus Adelardum iam ante Berengarii adventum illam cathedram tenuisse pateret. Quibus,[6]) quum signa chronologica sine dubio sint corrupta, obiici potest alia tabula, quae Aribaldum, Regiensem episcopum, die 16 m. Martii 945 adhuc fuisse inter vivos docet, quacum prima Adelardi episcopi mentio, in charta d. 19 m. Maj. 946 in-

---

1) Tiraboschi Modena t. I. p. 118, 121. Boehm. 1424, 1431.

2) Murat. ant. It. t. V. p. 675.

3) V, 28—31.

4) Muratorii sententiae Hugonem ante d. 19 mens. Maj. 946 reliquisse Italiam, quae diplomate, solius Lotharii nomine signato, confirmari videbatur, in Tiraboschi Modena t. I. p. 116 B. 1422, repugnant, praeter tabulam Hugonis nomine signatam, 3 Aug. 946, duae aliae apud Lupum t. II. p. 200. m. Jan. et Febr. 947 conscriptae, quarum in una legitur „Hugo rex hic in Italia.“ E quibus Lupus et Ballerini, Opp. Rather. p. LXI. coniecerunt illo tempore Hugonem regno abdicasse, hoc vero Italiam nondum reliquisse.

5) Tiraboschi Modena t. I. p. 119. Boehm. 1426.

6) Ibid. t. I. p. 110.

venta, optime congruit.[1]) Neque huiusmodi praesidia desunt Waldoni, quem Berengarius Adelardi loco, Cumanum fecerat episcopum „ob Mediolanensis archiepiscopi amorem.“ Waldoni enim rogatu Manassis a Lothario rege a. 950 bona quaedam publica esse donata videmus.[2]) Ab eodem Cumano episcopo, quem postea a. 960 a Berengario defecisse legimus in historia Ottonis, in ipsius homines summa crudelitate saevitum esse confirmat Liudprandus.[3]) Cuius rei subobscurae testimonium quoddam inveniri videtur in epistola Attonis, episcopi Vercellensis, ad eundem Waldonem, quem et in regis et in reliquorum episcoporum inimicitiam incurrisse haec verba declarant: „Unde vestra mens tam cito potuit concitari, ut sacerdotalis immemores reverentiae ex improviso discederetis a seniore vestrisque benevolis confratribus, et gratis in ipsos insurgere non vereremini?“[4]) In quo tamen recesserit a fide et officio neque ille accuratius exponere voluit.

Ab omnibus denique destitutum Italiaque relicta, Hugonem Raimundi, Aquitanorum principis, auxilium ad regnum recuperandum divitiis comparare sibi voluisse, sed morte praeventum esse, narrat auctor.[5]) His rebus eo magis supersedere possum, quum praeter tabulas publicas, e quibus demonstrarunt viri docti Raimundum Aquitaniae principatum tenuisse ab a. 943 circiter usque ad 961,[6]) nulla exstent testimonia, ad quae narratio illa revocari possit.

---

1) Murat. ant. It. t. I. p. 463.

2) Ughelli t. V. p. 276. Boehm. 1429.

3) V, 29.

4) Dacherii spicileg. t. I. p. 431. Attonem Lotharii regis fuisse consiliarium docet tabula in annot. 2 laudata, e qua eum in Waldonis nomine regem adiisse videmus. Prima eius, quod sciam, mentio exstat in Hugonis tabula a. 935. Boehm. 1395.

5) V, 31.

6) Histoire de Languedoc t. II. p. 69. Note VIII. p. 543. Reiicienda est auctorum sententia, quam Liudprandi verbis V, 31 confirmare volunt: „quod quanto nos omnes cachinno effecerit etc., auctorem Hugonem in Aquitaniam esse secutum. Tale Liudprandi iter omnibus caret documentis. Hugonem non esse monachum factum, ut praeter Leonem Ostiensem, scriptor quoque Cavensis vult, ostenderunt Mabillonius, Pagius t. III. p. 848 a. 945, et Muratorius. Ann. t. V, p. 441. a. 947.

Praeterita quae sequitur lubrica ac turpi narratiuncula, quam, ut huius notae alias, loco accomodatiori relinquo, ad eas transeo res, quas neque ab ipso spectatas neque in patria, suo tamen tempore gestas, auctor ab aliis exquisivit.

III.

RES BYZANTINAE.

ANTAPODOSIS V, 14, 15, 20—25.

In libri quinti capite quarto decimo, a quo oritur interposita de rebus Constantinopolitanis narratio, quatuor imperatoribus, qui Byzantinorum regnum tenebant, enumeratis, Romano Lacapeno, duobus eius filiis et Constantino Porphyrogenito, conditiones exponit auctor, inter Romanum et Hugonem regem pactas, de utriusque familiis matrimonii vinculo arctius inter se coniungendis. Cuius matrimonii a Romano iuniore, Lacapeni nepote, Constantini filio, et Bertha, Hugonis filia spuria, initi, mentionem uberiorem fecit continuator Porphyrogeniti.[1]) Missum esse ab imperatore, ut nepoti uxorem peteret, Paschalium πρωτοσπαθάριον καὶ στρατηγὸν Λαγγοβαρδίας, Ind. 2 i. e. 943, nuptiasque esse celebratas mense Sept. Ind. 3 i. e. 944, quibus notis chronologicis bene probatur et illustratur Liudprandi narra-

---

1) Theoph. contin. ed. Bekker VI, 46. ed. P. 267. Quem scriptorem anonymum reliqui, quos post Theophanem auctorum nomine complecti solemus, Simeonem magistrum, Georgium monachum, Leonem Grammaticum presso pede secutos esse, nemo non videt. Unus Simeon nonnulla aliunde invexit, de quo iam Pagius t. III. p. 783. movit dubitationem, utrum annales, sub nomine eius lati, ab alio quodam an a Simeone viro celeberrimo, qui florebat saec. decimo, compilati essent. Verum Simeonis chronicon editorem adhuc exspectare dicit Hase, in praef. ad Leonem Diacon. pag. XXII, XXVII.

tio.[1]) Bertham vero nomen cum altero Eudoxiae commutasse, ut noster tradidit,[2]) ipsius puellae socer in libro de administrando imperio his verbis scripsit:[3]) ὠνομάζετο Βέρτα κατὰ τὸ ὄνομα τῆς μάμμης αὐτῆς Βέρτας, — μετωνομάσθη δὲ Εὐδοκία κατὰ τὸ ὄνομα τῆς τε μάμμης καὶ ἀδελφῆς Κωνσταντίνου etc. Et hoc quoque recte a Liudprando esse annotatum, non curare Graecos in matrimoniis ineundis uxoris e matre nobilitatem, ideoque eos non respexisse Berthae ortum non legitimum, confirmatur constitutione illa e Basilicis desumta „de coniugiis mulierum, quas lex viles appellavit.“[4]). Sigefridum vero Placentinum episcopum, qui Bertham Constantinopolim duxit, Hugonis regis „carissimum fidelem et consiliarium“ fuisse, a. 929—941 tabulae publicae comprobant.[5])

Post Berthae memoriam Liudprandus expeditionem a Russis contra Constantinopolim susceptam tradidit, ut eam a vitrico, qui legationem eo tempore administrabat, acceperat.[6]) Praemisit auctor pauca de Russis quos „a qualitate corporis Graeci vocant Ῥουσιος, Russios, nos vero a positione loci nominamus Nordmannos.“ Quod nomen Teotiscum homines aquilonares significare addit, ut jam annotaverat alio loco.[7]) Haec verba ad Germanicam Russicae gentis originem confirmandam varie tentata esse, satis docet de nomine et antiquissima Russorum historia controversia, quae hodie quoque viros doctos exercere videtur.[8])

---

1) De hac re iam egerunt Pagius t. III. p. 845. a. 944, et Muratorius Ann. t. V. p. 432. Cfr. Krug Chron. d. Byz. p. 216, qui Ducangii, Bandurii, Schloezeri sententias correxit. Le Beau t. XV. p. 498.

2) V, 20.

3) Ed. Bekkerii t. III. p. 118. ed. P. p. 82.

4) Krug p. 219 in annot.

5) A. 929, Affo Parma t. I. p. 337, Boehm. 1384. A. 930, ibid. p. 342, Boehm. 1386. A. 932, ibid. p. 338, Boehm. 1387, Murat. ant. It. t. II. p. 57, Boehm. 1388. A. 935, ibid. p. 935, Boehm. 1395. A. 936, ib. t. III. p. 57, Boehm. 1398. A. 941, ib. t. I. p. 923, Boehm. 1405.

6) V, 15.

7) I, 11.

8) Karamsin Gesch. des russischen Reichs t. I. p. 39. Geijer Gesch. Schwedens t. I. p. 40, Strahl Gesch. Russlands t. I. p. 62, qui Thunmanni, Schloezeri, Fraehnii, Ewersii et aliorum doctorum virorum argumenta in

Quum non huius loci sit, talem rem in quaestionem vocare, hoc unum dixisse sufficiat. Recte decrevisse Ewersius censendus est, vir in Russorum originibus indagandis nimis paene sagax, Liudprandi verba parum esse definita, quam ex quibus fructus ille ad Russorum originem Germanicam redire possit.[1]) Patet enim, quod iam observavit Muratorius,[2]) Nordmannorum parum accuratum nomen non unum, sed omnes aquilonaris regionis populos, qualiscunque fuerint originis, complexum esse.

Russorum principem Ingerum, ut nominat eum Liudprandus, expeditioni illi praefuisse, unus, quod sciam, Leo Diaconus literis mandavit; eo melius autem scriptores Byzantini, ad suorum fortitudinem illustrandam, memoriae prodiderunt magnum Russicarum navium numerum, qui quanto ab illo abhorreat, quem Liudprandus tradidit, mirabere. Continuator Constantini et Leo Diaconus, apud quem duplex proelii illius navalis mentio legitur, in decem millibus[3]) navium acquieverunt, quae ad quindecim usque millia Zonaras[4]) aliique auxerunt. Quod vanae gloriolae captandae causa factum, verumque mille navium numerum a Liudprando servatum esse, iam annotatum est.[5]) Rectene idem tradiderit quindecim tantum semifractas chelandias imperatorem habuisse, quum hostes urbi supervenirent, i. e., ut scribit continuator Constantini, ad pharum usque in ponti faucibus positum navigarent, vix neges aut affirmes. Optime vero inter se consentiunt Longobardus

---

compendium quasi redegit. Nuperrime Fraehnius, qui huic quaestioni ex Arabicis scriptoribus lucem attulit, in libro, qui inscribitur: Neuer Beleg, dass die Gründer des russischen Staats Normannen waren, 1838, de eadem re disseruit. Cfr. Kosegartenii censuram in Hall. Literaturzeitung. 1840. März p. 377.

1) Kritische Vorarbeiten zur Gesch. d. Russen p. 139.

2) Antiq. Ital. t. I. p. 25. Ewers. p. 148. Wilken über d. Verhältnisse d. Russen zum Byzant. Reiche. Abhandl. d. Acad. 1829. p. 78.

3) Theoph. cont. VI, 39. ed. P. p. 262. Leo Diac. t. VI, 10 p. 106. IX, 2 p. 144.

4) ed. P. p. 191. Cedrenus ed. P. p. 630.

5) Gibbon's history of the decline t. X. p. 231. Martinius p. 41. Karamsin t. I. p. 331. Wilken in comment. p. 100.

et Byzantinus de mala fortuna, qua cesserit Russorum expeditio. Eodem fere modo ut ille cladem hic descripsit[1]) τήν τε σύναξιν τῶν Ῥουσικῶν πλοίων διέλυσε (Theophanes patricius, classis praefectus), καὶ τῷ ἐσκευασμένῳ πυρὶ πλεῖστα κατέφλεξε, — πολλὰ μὲν πλοῖα κατέδυσαν αὐταν-δρα, πολλοὺς δὲ κατέστρωσαν, πλείστους δὲ ζῶντας συνέλαβον; editam vero esse hanc cladem die 11 m. Junii Ind. 15, i. e. 941. Ingerum ad propria reversum esse, pergit Liudprandus, quod post nonnullas clades terrestres et alteram navalem victoriam a Graecis reportatam m. Sept. Ind. 15, i. e. 941, factum esse affirmat auctor Byzantinus.[2]) Quae vero sub finem capitis decimi quinti de Russicarum navium natura legimus, ne hoc praeteream, consentiunt cum Constantini Porphyr. descriptione, quam libro de imperio administrando inseruit.[3])

Liudprandus dein ad ultima fata Romani imperatoris eiusque filiorum exitum transiturus, quaedam de pulchritudine palatii Constantinopolitani praemisit,[4]) quod omnibus aedificiis, quae umquam viderit, longe praeferendum sit. In cuius palatii aperiendi et claudendi consuetudine enarranda auctorem accurate rem suam egisse comprobat Constantinus Porph., qui in libro saepe laudato de his quoque caerimoniis et de signo „mis", ut a Liudprando vocatur, i. e. αἱ μίνσαι, fusius egit.[5]) Quae vero de chrysotriclinio dixit auctor noster, in qua splendidiore et lautiore palatii parte Romanus imperator commorari solitus sit, iis non meliore quam Ducangii auctoritate fidem facere possum, qui multos Byzantinorum scriptorum locos de illo palatio congessit.[6])

In narratione de Romano, ex imperio iniuste adepto ab impiis filiis iniustius deiecto, Liudprandum in quibus-

---

1) p. 263.

2) Cfr. Leichii commentat. ad Constant. Porphyr. de caer. aul. p. 17. Pagium ad 941, Krugii Chronol. p. 181, Karamsin t. I. p. 332, Wilkenii commentat. p. 99.

3) ed. P. p. 56.

4) V, 21.

5) II, 1 p. 548.

6) Const. christ. p. 113, 117.

dam gravioribus rebus a Byzantinis abhorrere, nemo mirabitur, qui ne hos quidem in omnibus consentientes viderit. Stephanum et Constantinum, Romani filios, patris severitate exacerbatos, Constantino Porphyr. ignaro, imperatorem nihil metuentem deiecisse narrat Liudprandus, Porphyrogenitum vero, facinore perpetrato, in publicum prodiisse, ut populum tumultuose quaerentem, num quid damni verus imperator cepisset, aspectu sui sedaret. Apud continuatorem Const. legimus, Romanum senectute[1]) confectum, filios, qui antea Constantinum Porphyr. praecesserint in secundo et tertio imperii loco hac conditione constituisse, ὡς εἴπερ τῷ πρώτῳ βασιλεῖ κατά τι προςπταίσειαν, καθαιρεῖσθαι παραυτίκα τῆς βασιλείας; Stephanum autem in patrem res novas molitum esse συνειδότων αὐτῷ καὶ τῶν ἄλλων βασιλέων. Cedrenus, a quo Scylitzae historiam descriptam esse scimus, contendit, superbum illum iuvenem, a Porphyrogenito excitatum esse, qui auxilio eius imperium recuperare voluerit.[2]) Utrum sic se habuerint res an nostri auctoris praeferenda sit sententia, vix discernere auderem, nisi ipse rerum ordo indicare videretur, Constantinum ab illa regni conversione non tam alienum fuisse, ut videbatur auctori nostro, vel a testibus ei relatum erat.[3]) Eiectum deinde imperatorem, tonso capite monachum,[4]) in vicinam insulam, quam Proten vocat continuator Constantini, esse relegatum, apud Italicum et Byzantinum scriptorem pariter legitur.

Neque hic est dissensionis finis. Narrat Liudprandus[5])

---

1) Theoph. cont. VI, 52 p. 270.

2) ed. P. p. 633.

3) Ducangius Constantini sceleris illius participis mentionem non fecit, Leichius p. L, et Le Beau t. XVI p. 499, 504, Cedreni, Gibbon's history t. IX. p. 60, Liudprandi sententiam amplexus est.

4) Hoc significari voce a Liudprando usurpata „ad philosophandum" Romanum in exsilium missum esse, et res docet et verba auctoris „in qua (insula) coenobitarum multitudo philosophabatur;" ut iam Martinius an. 133 contra Eichhornium Literaturgesch. t. II. p. 451 annotavit. Luculentius scripsit de vocis significatione auctor Antiquitatum Benevent. Rom. 1754. t. II. p. 443.

5) V, 22.

Stephanum et Constantinum, fratres uxoris Porphyrogeniti, aura populari perterritos, et veritos, ne auxilio nuntii Hugonis regis deiicerentur, Diavolino auctore, armatorum praefecto, qui hoc consilium postea prodiderit, insidias Constantino struxisse. At continuator Constantini, apud quem de insidiis ne verbum quidem legitur, illos a Constantino expulsos esse scribit, qui secum reputaverit,[1]) *εἰ τοῦ ἰδίου πατρὸς οὐκ ἐφείσαντο, πῶς αὐτοῦ φείσωνται*; Cedrenus,[2]) aut quem secutus est auctor, narrat eos invicem unum in alterius suspicionem incurrisse, et Stephani consilium, qui etiam de fratre deiiciendo cogitaverit, Porphyrogenitum, Helena uxore instigante, praevenisse. In Diavolini quoque nomine Liudprandus errasse videtur, quod inter omnia, quae tradita sunt, coniuratorum nomina non legatur. Eo magis ex alia coniuratione hunc virum ab auctore invectum esse credam. Mens. Dec. Ind. 6 i. e. a. 947 a nonnullis, qui Stephanum ab exsilio revocare volebant, conspiratum est, ut detulit Michael, nominatus Diavolinus.[3]) De convivio tamen, in quo ab imperatore secunda illa rerum conversio perfecta est, bene confirmat continuator Const. Liudprandi narrationem his verbis, Romani filios esse arreptos *ἐν τῇ τραπέζῃ καὶ καθεζομένους, ἔτι τῆς βρώσεως οὔσης ἐν τῷ στόματι αὐτῶν*. Eadem quoque verba tradidit, quibus Romanus filios, in eandem qua, ipse degebat, insulam relegatos, allocutus sit, quae, ad commovendum animum aptissima, Liudprandus suis scribendi artificiis corrupit magis quam exornavit: *υἱοὺς ἐγέννησα καὶ ὕψωσα, αὐτοί δέ με ἠθέτησαν*.[4])

Neminem, credo, effugit in his rebus scribendis Liudprandum maiore Constantini Porphyrogeniti studio quam eius adversariorum teneri. Sed perpendas eum ex aliorum et aulicorum fortasse narrationibus sua hausisse, qui neque vellent omnia, quae scirent, neque possent enarrare.

---

1) Theoph. cont. VI, 2 p. 271.
2) p. 634.
3) Theoph. cont. VI, 6 p. 274. Krug. p. 237.
4) Theoph. cont. VI, 2 p. 272.

Nam quum auctor in aula Constantinopolitana versaretur a. 949, quinque annis ante Constantinus imperium recuperaverat, et duobus annis ante de Romani filio revocando nonnulli cogitaverant. Est enim Romanus deiectus d. 20 m. Dec. Ind. 3 i. e. 944, filiique eius d. 27 Jan. a. 945; et obiit Romanus mense Julio 948.[1]) Itaque tempore legationis Liudprandi vix dum illae turbae erant sedatae.

IV.

RES GERMANICAE.

ANTAPODOSIS IV, 14—34.

Constantinopoli relicta, iam ea Liudprandi historiarum pars examinanda est, quam in altero dimidio libri quarti de rebus Germanicis, auctoris tempore gestis, habemus. Sed non omnia, quae narravit, ad aliorum scriptorum normam revocabo, quum, qualis fructus ex hac libri parte ad res Germanicas cognoscendas percipi possit, auctores annalium, a Rankio v. ill. editorum, exponere conati sunt. Itaque ea tantum, in quibus errasse censendus est Liudprandus, depromam.

Errore tali, scriptori vix condonando, auctor Editham, Ottonis[2]) coniugem priorem, Adelstani, Anglorum regis sororem, filiam fratris eiusdem viri fecit, quod falsum esse testimoniis confirmatum est.[3]) Et alium emendationis locum dedit in eo, quod in seditione contra Ottonem a fratribus conflata, Henricum iuniorem ab Eberhardo, Franco-

1) Theoph. cont. l. l. Cfr. Ducangii Famil. Aug. Byzant. illustr. p. 146, Pagi t. III. p. 846, 853 ad a. 944, 948. Krug. p. 233, 237.

2) IV, 16.

3) Jahrbücher t. I, 1 p. 97.

rum duce, obsessum et captum esse dixit, quem a Tancmaro, fratre consanguineo comprehensum esse Widukindus et Roswitha testes locupletes sunt. Quem quum errorem scriptor quoque Augiensis amplexus sit, Liudprandum una cum eo vulgarem potius rumorem, quam viros fide dignos hoc loco secutum esse credam. Qui error inde facile originem trahere potuit, quod revera Henricus a Tancmaro Eberhardi potestati traditus est.[1])

Si porro auctori non ita magno vitio dederis, quod in Henrici[2]) seditione a reliquis scriptoribus, ne inter se quidem ubique consentientibus, paulum declinavit, aut quod Giselbertum, Lothariorum ducem, regnum Germanicum petiisse scripsit, tamen historiolam illam de Eberhardo, in complexu uxoris magnificentius de se praedicante, e fama haustam esse nemo non videt. Et ex parte eadem auctoritate, in scribendo Biertanico proelio[3]) se tuitus videtur esse Liudprandus, quod alio commentationis loco uberius tractandum est.

Sed alius neque hic levissimus error occurrit. Scimus e cont. Reg. aliisque scriptoribus,[4]) Henricum Ottonis fidei se a. 939 dedisse; et quum, nova coniuratione facta, in custodiam Ingelhemensem a. 941 traditus esset, solemnibus Christi nati eiusdem anni ad fratris nihil opinantis genua procumbentem, in gratiam eius receptum esse. Quae tria diversis temporibus facta, tanquam unum idemque fuissent, confudit Liudprandus, et praepostero ordine narravit. Quidni auctor vera tradere potuisset, si de singulis rebus hoc loco accuratius disquisivisset? Et iterum auctor in eo lapsus est, quod eodem tempore, quo Radamirus, Galiciae rex, Abderhamanem Cordubensem in Hispania vicerit, Idam, Herimanni Alemannorum ducis, filiam, Liutolfo, Ottonis filio, nupsisse scribit,[5]) quum illud a. 939, hoc a.

---

1) Jahrb. t. I, 2 p. 19.
2) IV, 20—22.
3) IV, 23.
4) Jahrb. t. I, 2 p. 38.
5) V, 1, 2.

947 factum esse constet.[1]) Illo anno autem, eodem die, quo victoriam reportaverint christiani, solis fuisse defectionem, annales Sangallenses et Hispanorum quidam auctores probant.[2])

---

1) Jahrb. t. I, 2 p. 72.

2) Pertz t. 1 p. 78, ubi Hispanorum quoque victoriae mentio facta est. Hispanorum scriptorum auctoritate adiutus de hoc proelio disseruit Siscar in praef. ad Ibañez obras chronolog. p. XXVIII. Cfr. Cardonne histoire des Arabes t. I. p. 349. Conde Gesch. d. Mauren in Spanien t. I. p. 423. De solis defectione cfr. l'art de verifier les dates t. I. p. 69.

CAPUT QUARTUM.

DE PRIMIS TRIBUS ANTAPODOSIS LIBRIS, IN QUIBUS AUCTOR RES ANTE SUAM MEMORIAM GESTAS DESCRIPSIT.

I.

RES ITALICAE.

ANTAPOD. I, 14—44.

Quum Liudprandum in scribendis rebus suo tempore gestis studio quodam res verbis exaggerandi haud raro ductum viderimus, eumque aut inscitia aut popularis rumoris specie deceptum a veritate saepius aberrasse apparuerit, non est sane, quod speres, auctorem in iis, quae ante sua tempora gesta ex aliorum memoria repetierit, verum ubique aut nullo modo commovendum literis mandasse.

Multa profecto emendanda sunt in iis, quae sub libri primi initium de Berengario et Widone, inter se de regno certantibus, legimus.[1]) Qui errores, non ubique leviores, ab aliis ex parte iam correcti, hoc loco modo attingendi sunt. A graviore enim errore exorsus, Carolum Crassum, imperatorem, post cuius mortem aemuli ad arma cucurrerunt, male confudit auctor cum Carolo Calvo, ut Muratorius et Pertzius annotarunt.[2]) Et nescio, an de foedere a

1) I, 14.

2) Pertz t. V p. 280. In eundem errorem Panegyr. Bereng. Murat. script. It. t. II, 1 p. 388. lapsus est. Cfr. Valesii annot. 4.

Berengario et Widone, viris alias inimicissimis, inito, e quo, si Caroli Crassi superstites forent, regnum eius essent divisuri, verae suspiciones mihi in mentem venerint. Hoc saltem verum est, quos Liudprandus amicitia conglutinatos fuisse dicit, iam ante Caroli mortem, invidia et ambitione commotos, unum in alterius odium capitale erupisse. Wido enim, Widonis filius, Spoletinorum et Camarinorum dux, e Francorum gente oriundus, ut Liudprandus tradit, aliique testes confirmant,[1]) regnandi cupiditate ductus, non modo Joanni VIII papae, haud aliter ac frater Lambertus, sed Carolo quoque imperatori arma intulerat. Pontifex vero, qui in literis ad Carolum Crassum datis, saepius de Widone, rapaci vexatore, questus erat,[2]) Berengarii, Foroiuliensis marchionis, auxilium contra Spoletinos petiit.[3]) Huc accedit, quod Carolus imperator terras Widonis, laesae maiestatis rei et exauctorati, Berengario an. 883 depopulandas permisit.[4]) Quum vero ille in imperatoris gratiam rediisset a. 885, hic propter Unroci fratris filiam a Liutwardo, episcopo Vercellensi, raptam ex eadem excidisse traditur ann. 886,[5]) quamvis consanguinitatis vinculo cum Carolo coniunctus esset; erat enim filius Eberhardi, Foroiuliensis marchionis et Giselae, filiae Ludovici Pii.[6])

---

1) Erchemperti, panegyr. Bereng., Flodoardi de Widonis origine Francica locos collegit Valesius ad panegyr. Murat. script. t. II, 1 p. 400 an. 39, et Reginonis, scriptorum Fuldensium aliorumque errores refutavit, qui Widonem non Widonis, sed Lamberti filium fecerunt. Cfr. praeter Beretti chorogr. Ital. p. CCXXXIX, in Murat. scriptor t. X., Hahn Reichsgesch. t. I, p. 281, stemma ducum Spoletinorum a Peregrinio confectum ad Erchemp. Murat. script. t. II, 1 et Schmidii dissertationem de Longobardis eorumque in Italia regno, Jenae 1749. p. 42 sq., qui in stemmate constituendo suis opinionibus iusto plus dedit.

2) Epp. 279, 293, Mansi collect. conc. t. XVII.

3) Epp. 85. 128, 131, 167 Ibid. Cfr. Valesii praef. ad panegyr. Bereng. in Murat. script. t. II, 1.

4) Ann. Fuld. cont. IV. V. Pertz t. I. p. 398.

5) Ann. Fuld. cont. V. Ibid. p. 401, 403, 404.

6) Cfr. testamentum Eberhardi, uxorisque Giselae literas, ap. Dachery t. II p. 876, et Vales. ad panegyr. p. 376, qui uberrime de his rebus disseruit; Muratori antichita Estens. t. I p. 259, Ann. t. V p. 213, Eccardi veterum monum. quaternio p. 40, Beretti ap. Murat. t. X p. LXVII, Rubeis

In hoc vero satis dilucida argumenta erroris convincunt auctorem, quod post Caroli mortem Berengarium sibi Italiam sumsisse scripsit.[1]) Hunc enim non post Caroli mortem, sed post deiectionem eius ex imperio sibi arrogasse Italiae regnum, coniecit Boehmerus.[2]) Et revera e quarundam tabularum signis chronologicis videmus, epocham regni Berengarii inter 26 Dec. a. 887 et d. 2 m. Jan. a. 888 statuendam esse; Carolum imperatorem vero d. 13 m. Jan. 888. mortuum, et mense Novemb. a. 887 deiectum esse scimus.[3]) Etsi damus igitur Liudprando hoc tempore factum esse illud Widonis et Berengarii foedus, ne unus alterius cōnsiliis ambitiose officeret, tamen ante Caroli mortem cupiditatem regnandi prorupisse, ipsa docent Erchemperti verba Widonem „cognoscentem Carolum seminecem iacere, cupiditate regnandi devictum abiisse, Galliam regnaturum.“[4]) Neque in hoc altero audiendus est auctor, qui aemulos Caroli funeri defuisse non scripsisset, si, quomodo infelicissimus ille imperator ab omnibus relictus diem supremum obierit, probe scivisset.

Sed quod maius est, finxit sibi consecrationem quan-

---

monum. eccles. Aquileiensis p. 427, Hahn t. I p. 280, Bünau Kaiserhistorie t. IV p. 102 an. u. Liruti notizie del Friuli t. III. p. 235.

1) I, 15.

2) Regest. Carol. p. 122.

3) Duae sunt illae tabulae, quarum unam apud Moriondum in monum. Aquens. t. I. p. 1 inveni, a Bodone episcopo scriptam regn. dom. n. Berengario a. 4, die 2 mens. Jan. Ind. 9, i. e. a. 891, quae docet Berengarium ante eundem diem a. 888 iam regnasse. Altera, Lupi t. II p. 100, scripta est die 26 mens. Dec. ind. 7 a. regni 31, a. imperii 4, i. e. 918, e qua videmus eodem die a. 887 eum nondum regnasse. De morte Caroli cfr. Ann. Fuld. cont. V et Regin. ad 888. Pertz I p. 405, 598. Reliquae Berengarii apud Boehmerum tabulae, saepius a me examinatae, paene omnes hanc computationem confirmant. Muratorius regni initium ad m. Januar. aut Febr. in Ann. t. V p. 216 revocavit, socii palatini in Murat. script. t. II p. 416 ad tempus inter m. Jan. et Mart., censent enim annos in Berengarii diplomatis e calculo Florentino numeratos esse, quod, quamquam quibusdam exemplis confirmari potest, contendere non ausim. Lupus t. I p. 993 habet m. Febr. 888.

4) c. 79. Pertz t. V p. 263.

dam Widonis imperatoris „totius Franciae imperii,“[1]) quam ille, de Caroli morte certior factus, Romae susceperit. Quae etsi ab uno Liudprando tradita offensionis aliquid Muratorio habere videbatur, tamen non penitus eam reiecit, nec, qui eum secuti sunt, Germanicus annalium interpres, aut Martinius tabulas, quibus Liudprandi opinioni fidem conciliare volebant, probe examinarunt.[2]) Apparet enim e paucis, quae servatae sunt, Widonis tabulis, eum post d. 22 Nov. 888 et ante d. 21 Febr. 889 Italiae regem factum esse, imperatorem vero die 21 Febr. 891 testis est tabula eodem die scripta. Itaque Liudprandus Widonis electionem, qua Franciae regnum petebat, Lingone ab episcopo Geilone paucisque aliis Burgundiis an. 888 factam, confudisse videtur cum postera illa Romana consecratione a. 891. Probe enim scimus, Galliae Belgicae et Provinciae, vel, ut habet noster, Galliae Romanae, regnum a Widone affectatum esse.[3]) Eundem vero, quum, Odone rege electo, ut Liudprandus[4]) et annalium scriptores habent, repulsam tulisset, de toto Francorum regno adipiscendo cogitasse, docet sigillum tabulae imperialis supra laudatae a. 891, in quo leguntur verba „renovatio regni Francorum.“[5]) Causam vero Francorum regni a Widone non adepti, quam Liudprandus proposuit, Widonem non, ut regem deceret, coenasse, nihili faciendam esse, satis demonstravit Muratorius[6]) hoc quoque argumento, quod Mettis urbs, in qua hoc factum esse vult auctor, non, ut falso opinatur, ad occidentalem, sed ad orientalem Franciam pertinuerit.

---

1) I, 15.

2) E tabula enim, data d. 21 Febr. 891, Ind. 9 a. r. 3, a. imp. 1 ap. Murat. ant. It. t. II p. 871. Boehm. 1270, colligere volebat Muratorii interpres, Ann. t. V p. 214, Widonem regnum ante eundem diem a. 888 adeptum esse, quod post illud tempus factum esse nemo non videt. Altera tabula a Martinio p. 74 allata, Boehm. 1268, cum reliquis nullo modo conciliari potest. Cfr. Bünau Kaiserhist. t. IV p. 218. an. y.

3) Ann. Vedast. et Fuld. ad. 888. Pertz t. I. p. 405, 525. Chron. Casaur. Dachery t. II p. 939.

4) I, 16.

5) Cfr. annot. 2.

6) Ann. t. V. p. 216.

Quae latent difficultates in narratione de duplici Widonis et Berengarii proelio,[1]) omnes paene, sive aliis auctoribus comparatis, sive de coniectura, praeclare expediit Muratorius. Duo esse proelia commissa praeter Berengarii panegyristam,[2]) acta Synodi Ticinensis, a Widonis amicis habiti, testantur,[3]) et Formosus papa, qui in literis a. 892 datis „Italiam tunc semel et iterum horrida bella perpessam esse“ profitetur.[4]) Accedunt alia testimonia, a nullodum quod sciam his rebus explicandis adhibita, quibus Muratorii coniectura, alteram pugnam sub finem a. 888, alteram a. 889 commissam esse, ab omni dubitatione liberatur.[5]) Testantur haec annalium Alemannicorum et chron. Cavensis scriptores et confirmat S. Benedicti chronicon.[6]) Ex his apparet Liudprando non credendum esse, paucos tantum dies inter utramque pugnam praeteriisse; annum potius fuisse interiectum, recte annotavit Berengarii panegyrista.[7]) Concedemus quoque Erchemperto, scriptori rebus aequali, aemulos an. 888 apud Brixiam armis decertasse, ubi alterum proelium factum esse vult Liudprandus. Neque minus falso Berengarium in utraque pugna fugatum esse dicit, quem in prima victorem fuisse Erchempertus et

---

1) I, 18, 19.

2) Murat. script. t. II. p. 390.

3) Pertz mon. legg. t. I, p. 555: Ipsis denique diebus, quasi ad certum signum supervenerunt, qui pro hoc regno, ut sibi volentes nolentesque adsentiremus minis et diversis et suasionibus inretitos furtive ac fraudulenter adtraxerunt. Sed quia illi, superveniente perspicuo principe Widone, bis iam fuga lapsi, ut fumus evanuerunt etc.

4) Flod. hist. Remens. ed. Colvener. p. 588.

5) Murat. ann. t. V, p. 240.

6) Ann. Alem. 888: Pertz t. I, p. 52. Bellum in Italia inter Widonem et Berengarium. Chron. Cav. Pratill. t. IV, p. 402. A. 888: Et Berengarius regnavit in Italia, et postea quoque Wido, qui alternatim se proeliis profligarunt. A. 889: Berengarius rex a Widone devictus est, et a regno Italico deiectus. Chron. Bened. Pertz t. V, p. 202. Erchempertus habet unam tantum pugnam; hunc vero, nescio quo fato impeditum, libro suo finem non imposuisse ex ultimis verbis patet. Ann. Fuld. Vedast. et Regino ap. Pertz t. I. l. l. minus accurate de his rebus egerunt.

7) Murat. script. t. II, 1 p. 389.

panegyrista[1]) tradunt. Ancipiti vero Marte pugnatum esse et inde patet, quod, Erchemperto teste, Berengarius victor hosti inducias dare haud inutile duxerit.

Sed novae difficultates sunt enodandae.[2]) Narrat auctor, Berengarium duplici illa clade afflictum vocasse in auxilium Arnulfum regem, cuius potentiae se serviturum esse, ut Liudprandi verbis utar, promisisset, et Centebaldum, Arnulfi filium spurium, in Italiam missum esse. Non vero a. 889, ut indicare videtur auctoris narratio, sed anno praecedenti obviam ivit Berengarius Arnulfo, ut habent annales Fuldenses, et Tridenti ab hoc in potestatem receptus est.[3]) Itaque tempore duobus illis proeliis interiecto foedus illud initum esse iam statuit Lupus.[4]) Quibuscum rebus Centebaldi in Italiam expeditionem, annorum spatio ab illis separatam, auctorem falso permiscuisse, probare videntur verba scriptoris Alemannici, a. 893, Alemannos in Italiam profectos esse, ad quem annum Pagius quoque et Muratorius panegyristae narrationem de Centebaldi expeditione revocaverunt.[5])

Iis, quae de his proeliis deque Hubaldi singulari certamine Liudprandus retulit,[6]) quum nemini scrupulum iniiciant, quin e vulgi rumore hausta sint, hic supersedere possum. Neque Centebaldi moribus, aliunde notis,[7]) repugnat, quod legimus, eum a Widone pecunia corruptum in patriam reversum esse. Justius vero ambigat aliquis, num revera[8]) Berengarius cum Centebaldo, ut auxilium peteret ab Arnulfo, in Germaniam profectus sit, cui narrationi Reginonis et

---

1) Murat. script. l. l. Pertz t. V, p. 264.

2) I, 20.

3) Pertz t. I, p. 406.

4) Cod. dipl. Berg. t. I, p. 998. Minus recte Muratorius ann. t. V, p. 219. a. 888., quem secuti sunt alii, hoc foedus ante primam aemulorum pugnam ponendum esse opinatur.

5) Pertz t. I, p. 53. Murat. script. t. II, 1 p. 396. Pagi crit. t. III, p. 758, Murat. ann. t. V, p. 240.

6) I, 21.

7) Regin. Pertz. t. I, p. 609.

8) I, 22.

Vedastini scriptoris testimonio,[1]) qui eum e regno tandem esse expulsum affirmant, fides conciliari posse videtur. Sed quamquam Muratorium[2]) Liudprandum secutum video, tamen haud scio an aliam sententiam tuear, scriptore Fuldensi tacente, qui singularum legationum ab Italis ad Arnulfum missarum accurate meminit.[3]) Huc accedit, quod, si poetae anonymo fides est habenda, Centebaldus, m. Oct. 893 circiter rediit; Berengarius autem m. Novemb. eiusdem anni Veronae commoratus est, ut docet tabula quaedam.[4])

Leviter sunt attingenda, quae Liudprandus de Arnulfi expeditione Romana posteritati tradidit,[5]) quum, in quos lapsus est errores, correcti, ipseque satis vituperatus sit a Pagio, Valesio, Muratorio, Lupo, Martinio aliisque.[6]) Qui viri docti annalibus Fuldensibus, Reginone et quibusdam tabulis nisi, Liudprandum, non aliter ac poetam anonymum, primam Arnulfi expeditionem Italicam a. 894 factam, qua ad Placentiam usque pervenerit, cum secunda Romana a. 896 confudisse, et ex utraque unam fecisse luce clarius demonstrarunt. Consentiunt quoque annales Alemannici, in quibus duae Arnulfi expeditiones, ad a. 894 et 896, annotatae sunt, chron. S. Benedicti, et Arnulfi tabulae, quae accuratissimam temporis descriptionem praebent.[7])

---

1) Pertz t. I, p. 525, 589.

2) Ann. t. V, p. 241.

3) Pertz t. I, p. 407, 409.

4) Boehm. 1296. Murat. ant. It. t. II, p. 217.

5) I, 23.

6) Crit. ad Baron. 894. t. III, p. 759, Vales. ad poet. anon. p. 399, Ann. t. V, p. 245, Cod. dipl. Berg. t. I, p. 1037. Martini p. 43.

7) Ann. Alem. Pertz t. I, p. 53. A. 894: Arnulfus in Italiam cum exercitu. A. 895: Arnulfus in Italiam. A. 896: Arnulfus Romam vi cepit et a Formoso papa imperator consecratur. Chron. S. Bened. Pertz t. V, p. 202: Subsequenter vero Arnulfus rex Gallorum intravit Italiam cum multa multitudine veniens usque ad Ticinum, cupiensque pertingere Romam. Sed idem fame et intemperie aeris compulsus reversus est ad propria. Cfr. Arnulfi tab. A. 894: d. 1 Febr. Bergomensi castello. Boehm. 1105; d. 11 Mart. Placentiae, Boehm. 1106; d. 17 April. Iporegiae, Boehm. 1107. A. 895: d. 1 Dec. Papiae, Boehm. 1119. A. 896: d. 25 April. et die 1 Maj. Romae, Boehm. 1120, 1121.

Neque meliore ratione auctorem usum esse eo loco,[1]) quo Arnulfi reditum per invias Alpium rupes, et Eporegiae obsessionem ab ann. 894 ad ann. 896 i. e. post Romam captam, falso revocavit, docent annales Fuldenses.[2]) Anscarius vero marchio, a quo castellum illud defensum esse apud auctorem nostrum et Fuldensem legimus ad ann. 894,[3]) in duabus quoque tabulis a. 892 et 896, in Widonis una et Lamberti altera „strenuissimus" et „dilectissimus marchio noster et fidelissimus comes" nominatur, quem Eporegiae marchionatum tenuisse sine dubio recte coniecit Tiraboschius.[4]) Ne vero severius de Liudprando statuamus, recordemur, quae de Bergamo urbe capta, de Ambrosio comite, quem urbe expugnata Arnulfus una cum armis patibulo suspendi iussit, quae de Mediolano et Ticino urbibus sponte subiectis narrat,[5]) Fuldensis, Reginonis et poetae anonymi[6]) auctoritate probari.

Sed iam alii sequuntur auctoris errores,[7]) e quibus iam satis ille notatus est, quod tradidit Widonem eodem anno, quo Roma capta sit, 896 in Arnulfo persequendo mortuum esse. Quod testibus collectis satis refutarunt Pagius et Muratorius,[8]) qui demonstrarunt, Widonem a. 894 obiisse, eodem tempore, quo Spoletum fugerit, ut scripsit Liudprandus, et dilucide confirmat auctor chronici S. Benedicti his verbis: „qui (Wido) tunc aufugerat in partes Spoleti, qui post

---

1) I, 35.

2) Ut annotavit Pertzius, t. V, p. 283. Hoc a Muratorio ann. t. V, p. 256 non visum esse, miror, qui immerito accusat Liudprandum haec omnia finxisse.

3) Pertz t. I, p. 409.

4) Prima tabula scripta est d. 11 Jul. 892, altera d. 26 Jul. 896. Tiraboschi Nonantula t. II, p. 86.

5) I, 23, 24.

6) Pertz t. I. l. l. Murat. script. t. II, 2 p. 397.

7) I, 25, 37.

8) Ann. t. V, p. 247. Inter testimonia ab illis allata, quibus chron. Cav. 894 Pratill. t. IV, p. 404. addi potest, mentione digna videtur tabula quaedam, scripta a. 894 die 30 m. Dec. an. 1 post ovito (sic!) Widonis imperatoris.

paululum vomitu sanguinis ab hac luce subtractus est."[1]) In narratiunculis denique paene ridiculis, quibus auctor Arnulfi[2]) expugnationem Romae ornavit, aliquod veritatis vestigium latere, scriptor Fuldensis ad ann. 896[3]) docere videtur. Dicit enim vir aequalis et fide alias dignissimus, dei nutu subito inter obsessos et obsessores contentione exorta, in ipsa urbe expugnanda e parte regis nullum de tanto exercitu cecidisse. Ex quo hoc saltem elucere videtur, pugnam repente neque satis nota causa exortam esse, ita ut iam illius aetatis homines eam ad miraculosam quandam originem revocare vellent, cui postea vulgaris rumor, incertum est an iuste nec ne, lepusculum illum, de quo scribit noster, supposuit.[4])

Maiori fortasse vitio vertendum est Liudprando, quod ignoraverit, Arnulfum, quem regis nomine appellat, eodem tempore imperiali corona ornatum esse, ut tabulae confirmant, et haud pauci scriptores profitentur.[5]) Neque minus in narrando morbo et turpissima Arnulfi morte stolidae plebeculae nimiam fidem habuit, error auctori quinquaginta annis post scribenti quamquam condonandus, quum similis rumoris prima vestigia iam in aequalium scriptorum annalibus reperiantur. Narrat enim noster,[6]) Arnulfum, quum Widonis uxorem Ageltrudam in Camarinorum castello Firmo obsideret, venenata quadam potione ab imperatrice illa in morbum gravissimum mentisque perturbationem esse implicitum. Revera Arnulfum gravi capitis infirmitate aut paralysi correptum esse, quum ad Widonis viduam in castello Spoletino obsidendam proficisceretur, probant scriptor Fuldensis et Regino; et apud illum legimus ann. 899 ho-

1) Pertz t. V, p. 202.

2) I, 27.

3) Pertz t. I, p. 411.

4) Animi causa exercitationem academicam Regiomonti an. 1695 scriptam laudare liceat, de expugnata ductu leporis Roma, qua nihil insulsius legi potest.

5) Ann. Fuld. Reginon. ann. Alem. et Aug. apud Pertzium t. I, l. l. Chron. Cav. ap. Pratill. t. IV, p. 404. Boehmeri reg. Carol. p. 109.

6) I, 32.

mines quosdam esse morte mulctatos, qui in suspicionem venissent, ne veneno imperatorem paralyticum fecissent.[1]) Ageltruda imperatrix, quod hic annotasse non alienum videtur, saepius nominatur in Widonis mariti, Lamberti filii, et semel in Berengarii, quae exstant, tabulis a. 898.[2])

Quum parum feliciter res in Italia cessissent, pergit auctor,[3]) Arnulfum in Germaniam redeuntem, ut securius ipse regnum teneret, Berengarii caecandi immane cepisse consilium, et hunc aufugisse Veronam. Quod verumne tradiderit Liudprandus, magna exoritur quaestio. Arnulfum in Italia expugnanda sua magis quam Berengarii curasse, vel e tabula quadam a. 894, scripta „regni in Italia anno primo," elucet,[4]) et testari videtur scriptoris Fuldensis narratio, exortum esse in Arnulfi itinere Romano rumorem, defecisse Berengarium ab imperatore, et in Italiam reversum esse.[5]) Legimus quoque Waltfridum, Foroiuliensem marchionem, Veronam, solemne Berengarii receptaculum, ad mortem usque a. 896 imperatori fideliter retinuisse. Quo vero tempore et quomodo marchio ille Berengarium, quem a. 895 et 896 Veronae commorantem invenimus,[6]) ex eadem urbe expellere potuerit, eo minus assequi possum, quum Waltfridus in eiusdem regis tabulis a. 888, 889 et 890 „illustris comitis summique consiliarii" et „illustris mar-

---

1) Pertz t. I, p. 412, 414, 607, 53. Ann. Alem. 896: Et rex Arnulfus coepit infirmari. In chronic. Cav. legitur an. 899 Arnulfum venenatum mortuum esse.

2) Cfr. tabulas a die 21 m. Febr. 891 apud Boehm. 1270, 71, 75, 76, 80, 81, 85, 87. Berengarii tabula, Boehm. 1307, exstat in Murat. ant. Ital. t. VI, p. 337. De vita Ageltrudae, Adelgisi, Beneventani principis, filiae, et Radelgisi sororis, disseruit auctor antiq. Benev. t. II, p. 226. Cfr. stemma Peregrinii ap. Murat. t. II, 1 p. 232 et Murat. ann. t. V, p. 234, 261.

3) I, 34.

4) Fumagalli cod. dipl. p. 534. Boehm. 1106.

5) Pertz t. I, p. 411.

6) Veronae scriptae sunt tabulae, Boehm. 1292—1296, a d. 10 Sept. 889 usque ad d. 9 Nov. 893, et Boehm. 1299—1301, a d. 4 Maj. 895 usque ad 30 Apr. 896.

chionis et dilecti fidelis"[1]) nominibus ornetur. In tanta testium dissensione, cui accedit nova difficultas, Berengarii in Germania exsulatus, a Muratorio[2]) probatus, quid de his rebus statuendum sit, vix discerni potest.

Utut est, hoc saltem recte tradidit Liudprandus,[3]) Widone mortuo, a Berengario contra Lambertum, illius filium, renovatum esse bellum, quod testatur auctor Cavensis,[4]) quumque res infeliciter cessissent, eum iterum Veronam fugisse tabulis supra laudatis confirmatur. Hic tamen locus novam praebet observandi occasionem, auctorem minus accurate, quam contendit, interdum a gravissimis illius temporis viris instructum fuisse, quem, quod vix excusabis, penitus latuisse videatur et Lamberti consecratio imperialis, et pax a Berengario et Lamberto de regno dividendo a. 896 inita, quam ex annalibus Fuldensibus et poeta anonymo cognoscimus.[5]) Consecrationem vero m. Febr. a. 892 factam esse e virorum doctorum computationibus satis constat.[6])

Sed iam repetamus ea, quae de Formoso papa literis consignata sunt, quae omnibus paene criticis, si non perditam reddiderunt ipsam Liudprandi fidem, haud parvam tamen de eius auctoritate dubitationem, neque, fateor, iniustam moverunt. Dixerim profecto, ne ipsum quidem auctorem, qui sexaginta annos post Formosi mortem scriberet, fuisse alienum a partium studio et dissidiis illis de eiusdem pontificis consecratione exortis; cuius contumeliae, quibus laceratur ab una parte, maioresne sint, an laudes, quibus ab altera effertur, ambigi potest. Illas dico turbas, quibus, sub finem noni et initium decimi saeculi de iure exortis, quo

---

1) Murat. ant. Ital. t. VI, p. 345, t. I, p. 279, p. 937. Boehm. 1289, 94, 92.

2) Ann. t. V, p. 253.

3) I, 37.

4) Chron. Cav. 894, Pratill. IV, p. 404: Wido imperator defunctus est et Lantpert filius eius regnavit, qui proeliatus est statim cum Berengario.

5) Pertz t. I, p. 412. Murat. script. t. II, 1 p. 401.

6) Pagii crit. t. III, p. 755, Murator. ann. t. V, p. 250, Boehm. reg. p. 122. Accedunt certa testimonia chron. Cavens. Pratill. IV, p. 403, et Casauriens. Dachery t. II, p. 939.

Formosus pontifex creatus sit, numque legitime consecrare potuerit presbyteros, ita concussa est ecclesia Europae occidentalis, ut eam non maiore schismate discissam esse mirari queas.

Formosus est Liudprando papa religiosissimus, vir religione divinarumque doctrinarum scientia excellens;[1]) et ne quis dubitet, „quantae auctoritatis fuerit", addit miraculum illud,[2]) quo sanctorum imagines Formosi cadaver salutasse dicuntur. Num vero recte de moribus huius pontificis statuerit, ambigi potest. Piissimum quidem virum his verbis Formosum depinxit Auxilius Nolanus, qui libellis quibusdam patrocinium eius suscepit:[3]) „Is est profecto ille, qui in omni vita sua tantae gravitatis forma exstitit, ut vinum non biberet, gustum carnis nesciret, femineae copulae expers, octogenarius virgineum suum corpus hominem exuens terrae commendaret. Istae etiam gentis Vulgarorum vitam sanctitatis praedicatione confirmans, ut verus apostolicus, ad fidem adduxit. Et quum tanta probitate praedicatus toti mundo ut alter lucifer illuxisset" etc. Alius defensor, ut ille,[4]) Formosi aequalis, vocat eum virum sanctum, iustum, catholicum, doctorem egregium, „qui strenue viam veritatis normamque fidei et christianae religionis doctrinam" observaverit; eumque magnae sanctitatis virum fuisse dicit auctor vitae Nicolai papae.[5])

Sint omnia ita, sed, si quid video, non erat sanctitas huius viri ita absoluta, ut non magno honorum studio agitaretur. Scimus enim Formosum Bulgarorum animos adeo sibi conciliasse, ut a Nicolao papa eum archiepiscopum sibi peterent, a. 866, quod fieri tamen nequibat, quum „plebem sibi creditam dimittere non oporteret episcopus,"

---

1) I, 29.

2) I, 31.

3) Libellus super causa et negotio Formosi papae ap. Mabillon. vetera analecta p. 30. Idem in duobus aliis libellis ibid. eiusdem causam tuitus est. De Auxilio cfr. Mabillon. ann. Bened. t. III, p. 325. Pagi crit. t. III, p. 768.

4) Anonymi invectiva in Romam pro Formoso papa ap. Anastasium ed. Blanchini t. IV, p. LXXII.

5) Anastas. ed. Blanchini t. I. p. 421.

ut responsum est a Nicolao.[1]) Legimus quoque Joannem VIII pontificem ad synodum Pontigonensem a. 876 scripsisse, Formosum anathemate esse feriendum, qui „noviter in Christo regenerati regis (Bulgarorum) animos adeo suis calliditatibus vitiavit, ut terribilibus sacramentis eum sibi obstrinxisse testatus sit, ne se vivo quemlibet episcopum a sede apostolica suscepisset — quoniam iam dudum per ambitionem a minori ecclesia in maiorem, videlicet sanctam sedem apostolicam prosilire conatus, plurimos sibi consulatores effecit.“[2]) Quo in crimine num viro inimicissimo fides habenda sit, ambigerem, nisi res ipsa doceret, aut non concederent Formosi defensores, eum, Nicaenis aliisque ecclesiae constitutionibus violatis, a sua ecclesia Portuensi ad Romanam transiisse, quod m. Decembri a. 891, ut videtur, factum est.[3])

---

1) Anastas. ibid. Ann. Hincm. a. 866. Pertz t. I, p. 474. Cfr. Pagi t. III, p. 663 et Muratorium ann. t. V, p. 179 ad eund. annum.

2) Ep. 319 Joannis pap. Mansi t. XVII, p. 236. Hanc epistolam in synodo lectam esse testantur ann. Hincm. ad 876, Pertz. t. I, p. 500. Exstant praeterea canones quidam in synodo Pontigonensi compositi, et 17 Cal. Aug. 876 lecti, ut ipsa canonum inscriptione docemur, Mansi conc. t. XVII append. p. 167., qui subobscuris Formosi rebus haud contemnendam lucem afferunt, etsi eos reiectos esse Hincmarus in annal. l. l. his verbis probat: „17 Cal. Aug. — legit Odo, Belvivagorum episcopus, quaedam capitula, a missis apostolici et ab Ansegiso et ab eodem Odone sine conscientia synodi dictata, inter se dissonantia et nullam utilitatem habentia, verum et ratione ac auctoritate carentia, et idcirco hic non habentur subiuncta.“ In horum canonum octavo, legimus de epistola 319 Joannis VIII supra laudata, haec verba: „Synodum quum d. Joannes apostolicus et universalis papa super quorundam depositionem, Formosi scilicet Portuensis episcopi — ceterorumque suorum complicum, sicut in epistola ipsius ad nos missa continetur, nuper instituerit“ etc.

3) De horum pontificum historia cfr. appendicem de chronologia pontif. Formosum ambitione esse ductum negat Auxilius, Mabill. p. 37, 47, et magna opera aliorum episcoporum exempla ex antiquioris ecclesiae historia conquisivit, ut demonstraret illius electionem nihil inauditi habuisse. Auct. invect. Blanch. t. IV, p. LXX dicit episcopos, proceres, clericos Portum ivisse ad Formosum, „quo renuente et contradicente et ad altare se complicante per vim eum cum palla, qua altare opertum erat, exinde abstraxerunt, et abstractum — in sede Petri inthronizaverunt.“ Sed priorem vitam Formosi paucis absolvam. Formosus a. 864, ut videtur, in Rodoaldi locum episcopus Portuen-

Huius Formosi et Sergii papae de pontificali cathedra obtinenda contentionem, a Liudprando falso narratam esse,

sis creatus est, cfr. ann. Hincm. ad 863, Pertz t. I, p. 460, Regin. p. 572, Mansi conc. t. XV, p. 674. A. 869 Hadrianus papa eum in Galliam mittere voluit propter Waldradam ad Lotharium regem, ut legimus in ann. Hincm. Pertz. t. I, p. 482. A. 875 Joanne VIII papa, administravit legationem ad Carolum Calvum imperii suscipiendi causa, qua, ut videtur, in favorem Ludovici Germanici functus, ita Joannis odium incurrit, ut eum anathemate afficeret. Legimus enim in canone 1 actorum supra laudatorum haec verba: „Obeunte Ludovico, qui Romam imperii iure regebat, (scil. Lotharii I. imperatoris filius) d. Joannes ter beatissimus per Gadericum Velitternensem, Formosum Portuensem — d. Carolum, tunc regem ad limina b. apostolorum invitavit, eumque — imperiali diademate coronavit," etc. Et in canone 2: „Congregata igitur in Romana urbe s. synodo ante adventum praedicti d. imperatoris misit cum consensu omnium epistolas Ludovico regi (scil. Germanorum) filiis quoque ipsius — monentes eos apostolica auctoritate more paterno, servare quae pacis sunt, ne videlicet aliquam irruptionem in regno praefati Augusti facile tentarent" etc. Cfr. de his rebus Ann. Fuld. et Hincm. ad 875, Pertz t. I, p. 389, 498. Formosum vero Caroli Calvi partibus non favisse, ex hoc potissimum loco epistolae 319 Joannis VIII elucet: „Sine licentia vel conscientia nostra, propriam paroeciam deseruit (Formosus), urbe discessit, et contra salutem reipublicae, dilectique filii nostri Caroli, a nobis electi et ordinati principis cum suis fautoribus conspiravit." Et alio loco iisdem fere verbis addidit papa haec: „Cui (Carolo) semper infideles fuerunt, et cuius provectioni semper detraxerunt" (scil. Formosus eiusque socii). Ad eosdem sine dubio spectat anathema a Joanne VIII in concilio Romano, a. 877 pronuntiatum, Mansi conc. t. XVII, p. 174, — „qui in imperium subintroducere simultates et discordiam moliuntur, ac fraudulentum immittere schisma ad confundendam ecclesiae unitatem, regnique congruum statum et ordinem reique publicae utilitatem et tranquillitatem conantur." Idem anathema repetitum est in concilio Trecassino an. 878, Mansi conc. t. XVII, p. 345, Ann. Hincm. Pertz t. I, p. 506, contra Formosum, „nuperrime Portuensem episcopum," (nam in locum eius suffectus erat Walbertus, cfr. Mansi ibid. p. 342,) eiusque amicos, „quia non desinunt inquietare aures regum ac principum, et malis prioribus, iuncti cum praedonibus et subversoribus ecclesiarum, nova ac recentia mala addere, quotidie student" etc. Formosum esse excommunicatum, e clericorum ordine remotum, eique tale iusiurandum esse impositum, ut numquam episcopatum repeteret aut in urbem Romam rediret, a quo eum absolverit Marinus papa, ex haud paucis Auxilii et auctoris invectivae locis, colligi potest. Cfr. Auxil. Mabill. Veter. anal. p. 29, 46, 51. Blanch. Anast. t. IV, p. LXX, LXXII. Easdem res uberiore oratione exposuit Sigibertus Gembl. ad a. 900, e continuatione quadam libri Pontificalis, qui sub Anastasii bibliothecarii nomine circumfertur, haustas, ut dilucide demonstravit Hirsch

qui nomina permiscuit et res confudit, post Pagium[1]) a Muratorio luce clarius demonstratum est, qui talem turbam inter Joannem IX papam et Sergium exortam esse probavit. Sed in hoc non erravit auctor, quod Sergius inter exacerbatos Formosi inimicos fuerit, qui, in concilio Romano cum quibusdam aliis, qui interfuerant „horrendae Stephani VI synodo“ condemnatus, ipse, quum Petri sedem teneret, Formosum damnatum sanctae sedis apostolicae invasorem nominaverit.[2]) Gravior vero hic est Liudprandi error, quod post expulsum Formosi successorem, Sergium esse constitutum narrat;[3]) nam ut omnes testantur catalogi pontificum, non unus, sed octo pontifices inter Formosum et Sergium sedem Petri tenuerunt, Bonifacius VI, Stephanus VI, Romanus, Theodorus II, Joannes IX, Benedictus IV, Leo V et Christophorus. Neque expulsus est, ut vult auctor, Formosi successor, Bonifacius, sed consentiunt cum omnibus catalogis ann. Fuld. eum post pontificii dies quindecim, morbo podagrico ann. 896 mortuum esse[4]); Sergium III vero ante d. 1 m. Febr. 904 papam esse consecratum scimus.[5])

Num rectius scripserit auctor, Sergium ab Adelberto, Tusciae marchione, restitutum esse, iam dubitavit Muratorius, qui eum cum Flodoardo populi precibus revocatum malebat.[6]) At Adelbertum inter Formosi inimicos saltem fuisse crediderim. Erat enim ille Adelbertus, quem Wido in tabula a. 890 marchionem vocat et dilectum nepotem, Rotildae filius, sororis Widonis, et Adelberti illius, qui Joan-

---

de vita et script. Sigiberti p. 76 sq. Praeterea cfr. de Formoso Morini praefat. ad Auxilium, in libro de ordinationibus, Ughelli Ital. sacra t. I, p. 112, Perzinae quaestiones critico-historic. p. 132.

1) Pagi crit. t. III, p. 768 a. 897 Murat. ann. t. V, p. 232, 268.

2) Litt. ad Amelium episcopum Uzeticum, ap. Bouq. t. IX, p. 213. Act. conc. Rom. c. 8. ap. Mansi t. XVIII, p. 221.

3) I, 30.

4) Pertz t. I, p. 112.

5) Cfr. append. de pontif. chronol.

6) Flodoard. vers. de pontif. Murat. script. t. III, 2 p. 321. Murator. ann. t. V, p. 302.

nem VIII papam vexaverat.[1]) Formosus vero papa summo odio Widonis et Lamberti, imperatorum, Adelberti marchionis avunculi et consobrini, erat plenus, quamquam Lambertum imperiali corona ornaverat, deque eo ad Fulconem, archiepiscopum Remensem, consanguineum eius, non semel scripserat, se filii carissimi loco eum diligere.[2]) Et in eundem Lambertum pontifex ab Arnulfo petivit auxilium, ut Roma a malis christianis liberaretur.[3])

Novam denique et nefando studio excogitatam crudelitatem, qua saeviit Stephanus VI papa, non Sergius, ut falso scripsit auctor,[4]) etiam in mortuum Formosum, non unus neque unius terrae, sed multi scriptores summo taedio et horrore perfusi, exsecrandum facinus posteritati tradiderunt. Eodem modo, ut Liudprandus, descripserunt inauditum illud scelus Auxilius, auctores invectivae et chron. S. Benedicti, scriptor Fuldensis et Alemannicus.[5]) Neque aliter res narratur in actis concilii Romani a Joanne IX. papa ad Formosi memoriam restituendam congregati.[6])

Sed iam redeat unde paulo declinavit commentatio ad libri ordinem a Liudprando institutum, i. e. ad Maginfridi, Mediolanensis comitis, mortem,[7]) quem rebellem a Lamberto capitis damnatum esse, annales quoque Fulden-

---

1) De tabula Widonis cfr. Murat. ant. It. t. III, p. 65. Boehm. 1269. De Adelbertis marchionibus, seniore et iuniore, cfr. uberrimam tabularum collectionem, in quibus eorum mentio exstat, in Fiorentini memorie della grancontessa Matilda p. 374. Murat. antich. Est. t. I, p. 238. De Rotilda Joannis VIII ep. 87, 164. Mansi conc. t. XVII.

2) Flod. hist. Rem. IV, p. 589, 593.

3) I, 28. Ann. Fuld. a. 891, 893, 895. Pertz t. I, p. 409, 411.

4) Error iam a Baronio correctus, ann. t. X. Acta sanct. mens. Maj. t. IV, p. 147.

5) Auxil. ap. Mabill. vet. anal. p. 30, 50. Invect. ap. Blanch. t. IV, p. LXX. Chron. Bened. Pertz. t. V, p. 204. De reliquis cfr. Pertz. t. I, p. 412, 531. Flod. vers. de pontif. Murat. script. III, 2 p. 318. Posterorum scriptorum haud pauci Sigibertum Gembl. secuti sunt, qui idem facinus Stephano et Sergio tribuit, ut Platina et Stella in vit. pontif. Cfr. Hirsch de Sigiberto p. 77 an. 3.

6) Mansi conc. t. XVIII, p. 223 can. 1. 9. Acta concil. Ravenn. ibid. p. 229 can. 4. Pagi crit. t. III, p. 768.

7) I, 38.

ses et posteri scriptores probant.[1]) Sin aliter hic est ille Maginfridus, quem palatii comitem et fidelissimum consiliarium vocat Wido in tabulis a. 890 et 892,[2]) quum a. 896 capite plecteretur, ut legimus in annalibus Fuldensibus, per quinquennium saltem, ut vult Liudprandus, Lamberto rebellis fuisse nequit.

In altera, quae sequitur, Adelberti marchionis et Hildebrandi comitis seditione,[3]) qui, teste scriptore Fuldensi, a. 894[4]) ad Arnulfum deficientes, ab hoc quoque paulo post defecere, unius Liudprandi fide inniti possumus. E tabula quadam a. 897, quae continet iudicium ab Adelberto Florentiae Lamberti factum auspiciis,[5]) hoc saltem colligi posse videtur, seditionem illo tempore nondum exortam esse, quam Muratorius alius tabulae ope, Paviae[6]) m. Julio anni 898 scriptae, quo Lambertus secum duxit captivos illos comites, ad eundem annum revocavit. Adelberti uxorem, Bertham, quam mali concitatricem auctor fecit, Hugonis regis matrem fuisse, ut legimus, Hugo filius in diplomate a. 939 his verbis probavit „pro anima Adelberti marchionis, matrisque nostrae Berthae, coniugis eius".[7])

Pauca denique sunt dicenda de morte Lamberti, qua auctor primo libro finem imposuit.[8]) E duabus enim narrationibus, quae de imperatoris morte in vulgi ore fere-

---

1) Pertz. t. I, p. 412. Chron. Novalic. Murat. script. t. II, 2 p. 763. Ejusd. ann. t. V, p. 257, cui subiungendi sunt Giulini t. II, p. 42 et Lupus cod. dipl. Berg. t. I, p. 1058.

2) Moriondi monum. Aquens. t. I, p. 2. Tiraboschi Modena t. I, p. 66. Boehm. 1272, 1274.

3) I, 39—41.

4) Pertz t. I, p. 409.

5) Fiorentini memoria della granc. Mat. p. 383. Charta scripta est a. imp. Lamberti 6, die 4 m. Mart. ind. 15. Altera eiusdem Adelberti tabula, data a. 894 post ovito Widonis imp. a. 1, 3 Cal. Jan. Ind. 15, indicare videtur hoc quoque tempore eum Lamberti auctoritatem contemsisse.

6) Ann. t. V, p. 267. Murat. ant. It. t. III, p. 59. Boehm. 1286.

7) I, 39. Orr. Guelf. t. I, p. 254. Boehm. 1401. Orr. G. t. I, p. 118. Fiorentini p. 386. Boehm. 1395. Muratorius in multis annalium locis de Bertha disseruit.

8) I, 42—44.

bantur, eum venantem de equo praecipitasse, aut ab Hugone, Maginfridi, illius Mediolanensis, filio collum eius ligno fractum esse, Liudprandus hanc fecit suam, „quae, omnibus a populis narrata," ipsi, rerum inauditarum amatori, maxime placeret. Et dubites profecto, num Muratorium sequaris,[1]) qui, reliquis testibus collectis, quorum poeta anonymus primam, auctor Novalic. alteram sententiam tradidit,[2]) hanc commenticiam habet, an Martinium, Liudprandi partes tuentem. Non sane mirabere, quum poeta anonymus dicat, „uno comitante ministro Lambertum esse de equo deiectum",[3]) hunc ministrum in caedis suspicionem incurrisse, quod eo facilius fieri potuisset, si revera interfecti illius Maginfridi filius fuisset. Quam suspicionem falsam esse ex annalibus Fuldensibus ad a. 896 satis elucet, in quibus legimus, filium Maginfridi, unicum paternae possessionis vicarium, una cum genero eius, Lamberti iussu oculis esse privatum.[4]) Adde dein verba chronici Cavensis Lambertum praecipitatum mortuum esse,[5]) neque quin Muratorius recte rem expedierit, dubitabis. Annum mortis fuisse 898 testantur annales Alemannici.[6])

---

1) Ann. t. V, p. 272.
2) p. 23.
3) Murat. script. t. II, 1 p. 402.
4) Pertz t. I, p. 412.
5) Pratill. t. IV, p. 405.
6) Pertz t. I, p. 53.

II.

RES ITALICAE.

ANTAPOD. II. 7—16; 32—73.

Uberiore sermone sub initium libri secundi[1]) primam Hungarorum in Italiam irruptionem auctor prosecutus est, quam paulo post Lamberti mortem factam, ad a. 906 fere, falso, ut iam annotavit Muratorius[2]), revocare voluisse videtur. Sed ne hic quidem definire voluit, utrum Hungari Italiam ingressi sint a. 900, ut habent annales Fuld., an 899, ut exhibetur in chronico Nonantulano.[3]) In mensem Martium, quo incursionem esse factam indicavit Liudprandus,[4]) bene cadunt haec verba chronici Cavensis a. 900: „Ungri per Italiam devastantes excursitare coeperunt a mense Aprili cum maxima omnium desolatione, et Berengarius cum suo exercitu funditus prostratus est ab iis.“[5]) At vero e chronico Nonantulano[6]) discimus die 24 m. Sept. concursum esse ad Brentam fluvium, et Hungari quinque paene menses in Italia fuisse putandi essent, nisi docerent nos litterae Theotmari, archiepiscopi Salisburgensis, ad Joannem IX datae, huius papae temporibus (obiit m. Julio 900) Italiam a vexatoribus illis liberatam esse.[7]) Cruentissimam fuisse hanc cladem

1) II, 7—16.

2) Ann. t. V, p. 283.

3) Tiraboschi Nonant. t. II, p. 5. Ann. Alem. Ann. Aug. ad 899, Pertz t. I, p. 53, 68, 415. Chron. Sansoph. ad 899, Pratill. t. IV, p. 363. Ex epistola Hattonis, archiepiscopi Moguntini, ad Joannem IX, papam, Mansi t. XVIII, p. 203, quae scripta est post electionem Ludovici infantis, mense Januario a. 900 factam, ut videtur, cfr. Boehm. reg. Carol. p. 114, non satis accurate colligi potest, a. 900 an a. 899 Hungari Italiam intraverint. Dicit archiepiscopus, a paganis „inter nos et vos consistentibus impeditum est iter nostrum ad sanctam matrem nostram Romanam sedem; — sed quia tandem occasio et tempus advenit etc.

4) II, 9.

5) Pratill. t. IV, p. 405.

6) Tiraboschi t. II, p. 5.

7) Mansi conc. t. XVIII, p. 208. Append. de chronol. pontiff. Errasse igitur videtur scriptor Nonantulanus, ut coniecit Lupus cod. dipl. Ben. t. I, p. 1087.

confirmat quoque scriptor Fuldensis, qui viginti duo millia hominum interfecta esse tradidit. Quod vero Hungari anno antecedenti, i. e. 898, ut scripsit Liudprandus[1]), quasi speculaturi ad Brentam usque pervenerint, nullo illius temporis monumento probatur.

Sed sequamur auctorem ad diversa, quae Ludovicus, Provinciae rex, fecit pericula, ut Italiae regnum Berengario eriperet,[2]) in quibus explicandis multi iam doctrinam haud parvam et diligentiam posuerunt, Sigonius, Valesius, Boucheus, Mabillon, Pagius, Saxius, Muratorius, auctores historiae Provinciae et Lupus.[3]) Tabulis vero publicis ab hoc primum adscitis, maiorem debemus lucem, quae his rebus allata est. In quarum nulla Adelberti, Eporegiae marchionis, a quo nova rerum Italicarum conversio duxit originem,[4]) aut Giselae, coniugis, Berengarii filiae, mentionem factam esse miror.

Neque hic desunt Liudprandi quidam errores, quibus Lupus ductus, Ludovicum ter in Italiam profectum esse, et Muratorium, qui omnia bene expediit, allucinatum esse statuit.[5]) Expeditionis enim, quam primam sibi finxit an. 899 Lupus, in illius aevi monumentis ne vestigium quidem invenitur; at quod coniecit Muratorius,[6]) primam expeditionem a. 900 esse susceptam, distincte probant annales Alemannici,[7]) iterumque effugisse Liudprandum Ludovici consecrationem imperialem, a Benedicto pontifice a. 901 factam,

---

1) II, 7.

2) II, 32—41.

3) Bouche histoire de France t. I, p. 784 sq. Vales. ad poet. anon. Murat. II, 1 p. 402. Mabill. ann. Bened. t. III, p. 360. Histoire de Languedoc t. II, p. 528. Pagi crit. t. III, p. 777 a. 900, Murat. ann. t. V, p. 288. Bünau Reichshist. t. IV, p. 162. an. u. p. 170. an. g. Lupus cod. dipl. Berg. t. II, p. 39.

4) II, 33.

5) Cod. dipl. Berg. t. I, p. 1082. t. II, p. 56.

6) Ann. t. V, p. 283.

7) Pertz t. I, p. 54. Reginonis l. l. p. 607 errorem, qui Ludovicum a. 896 Italiam ingressum esse dicit, emendavit Muratorius.

ut et chronica et tabulae testes sunt.[1]) Ex iisdem tabulis elucet quoque Ludovicum post cladem, Berengario ab Hungaris illatam, m. Oct. 900 in Italiam venisse, ibique ad medium fere a. 902 commoratum esse.[2]) Adelbertum, Tusciae marchionem, cuius potissimum defectione res Ludovici infeliciter cessisse dicit auctor, in tabulis eius die 12 Oct. 900, d. 11 Mart. 901, 11 Febr. 902, „dilectissimum fidelem et consiliarium" nominatum esse reperi.[3]) Post modicam dein temporis intercapedinem, ut Liudprandi verbis utar, rediisse Ludovicum iurisiurandi immemorem, tabula eius Italica docet, m. Febr. 905 scripta, eumque d. 31 m. Oct. 904 Viennae[4]) adhuc fuisse, testis est aliud diploma. Tertium vero Berengarii, d. 25 m. Mai. in Veronae urbis vicinio scriptum, confirmat regem Ludovici armis victricibus iterum in exsilium pulsum esse. Victorem postea a Berengario victum, Veronae captum et lumine privatum esse, quod uberius descripsit Liudprandus, in annalibus Aleman., chronico Cavens., apud Constantinum Porphyr., poetam anonymum et Reginonem legimus.[5]) Quae omnia m. Julio 905 facta esse docuerunt Muratorius et Lupus. Hoc tamen tacuit Liudprandus, et recte, si quid

---

1) Ann. Alem. ap. Pertz l. l. Chron. Cav. ap. Pratill t. IV, p. 406. Exstat tabula m. Febr. 901 die ipso consecrationis, ut videtur, data, Ughelli t. I, p. 799. Boehm. 1460. Pagii aliorumque de Ludovici consecratione sententias refutavit Lupus t. II, p. 3.

2) Ultima, quam habemus, tabula Italica Ludovici, Paviae d. 12 Maj. 902, prima Burgundica, Viennae d. 11 Nov. 902, scripta est. Ughelli t. IV, p. 586. Bouq. t. IX, p. 681. Boehm. 1469, 1470. Chron. Cav. 902 l. l.: Beringarius Italiam suam recuperatus est.

3) Murat. ant. Ital. t. I, p. 87, p. 365. Tiraboschi Nonantula p. 84. Boehm. 1455, 1462, 1467. Cfr. tabulam Boehm. 1455, ubi Ludovicus magnificentius de se dicit: „Haec vero nostra regalis institutio, et praefatorum fidelium nostrorum generaliter promulgata et sancita auctoritas in omnibus comitatibus per totius Italiae fines; in toto regno Romanorum et Longobardorum et ducatus Italiae, Spoleti et Tusciae etc.

4) Cod. dipl. Berg. t. II, p. 16. Bouq. t. VIII, p. 415. Boehm. 1475.

5) Pertz t. I, p. 54, 610. Pratill. t. IV, p. 107, De administr. impes. c. 28. p. 81, Murat. script. t. II, 1. p. 404. Eiusd. ant. It. t. I, p. 1017. Boehm 1332. Lup. t. II, p. 49.

video, tacuit, Bavaricum Berengarii exsilium, ex quo eum a civibus Veronae urbis vocatum esse scripsit Regino. Quem Muratorium secutum esse miror, quum ex publicis actis patet, Berengarium patriam non reliquisse.[1])

Iam redit auctor ad Hungaros et Saracenos, infelicissimam patriam ferro flammaque crudelissime devastantes.[2]) Illorum irruptionem, quos Berengarius amicos sibi conciliaverat, duplici testimonio ad a. 905 et 904, probarunt scriptor Cavensis et Beneventanus. Ex quibus annis[3]) ultimus videtur praeferendus, ut coniici potest e diplomate quodam, d. 24 m. Mai. 904 Adelberto, episcopo Bergomensi, dato, ut muniret urbem „hostili quadam impugnatione devictam, unde nunc maxime saevorum Hungarorum incursione tenebatur.“[4])

Alteri irruptioni Saracenorum, qui a Fraxineto ad Aquas penetraverant a. 906, e chronico Novalicensi testimonium petiit Muratorius,[5]) cui aliud chronici Cavensis addo, e quo Liudprandum recte dixisse patet, eodem tempore Calabriam, Apuliam, Beneventum a Saracenis esse devastatum.[6])

Sed relictus est alius Antapodosis locus, quem ut hic repetam, Fraxineti castelli me monet nomen. Est haec auctoris narratio, a qua libri initium duxit; quomodo Saraceni hanc munitionem occupaverint.[7]) Testium vero paucitate neque castelli situs, neque tempus, quo expugnatum sit, accuratius constitui potest. Utrum apud Nizzam, an apud Foroiulium (Frejus) quaerendum sit, inter viros doctos exorta est quaestio. Hunc locum indicare videntur Liudprandi verba, qui eum in maris litore, in confinio Italorum

---

1) Cfr. Boehm. 1330—1337. Lupus t. II, p. 52. In ann. Alem. Pertz. l. l. legimus Berengarium auxilio Bavarorum Veronam expugnasse.

2) II, 42—46.

3) Pratill. t. IV, p. 407. Pertz t. V, p. 175.

4) Lupus t. II, p 23. Boehm. 1325.

5) Murat. ann. t. V, p. 308. Eiusd. script. t. II, 2. Chron. Cav. 906: Saraceni de Garillano Teanum, Calena et alia loca usque Capuas praedati sunt.

6) II, 44.

7) I 9—4.

et Provincialium situm esse vult, et silvae Mauri mentio (hodie les Maures), quae apud Foroiulium sita est. Easdem silvas cum Liudprando congruenter descripsit auctor Novalicensis: „Erat enim circumseptus nemore perdenso maxime silvarum plurimarum. Est autem locus ipse situs super ora maris in Provincia (et falso addidit), prope Arelatem.“ [1]) In Fraxinidi saltus nomine, cuius in transitu mentionem fecit Flodoardus,[2]) latere Frainet, locum Provinciae, iam coniecit Boucheus.[3]) De tempore verum, ni fallor, iam ante Pagium, vidit idem Boucheus, qui castellum a. 890 expugnatum esse censet.[4])

Sed redeamus ad Saracenos Italiam inferiorem devastantes, quos Liudprandus a. 906 ex Africa profectos apud Garelianum fluvium munitionem constituisse opinatur. At atrocissimos hos praedones viginti quinque annis ante, 881 irrupisse et testatur chronicon Cinglese et sciunt omnes.[5]) Huc accedit errorum quasi cumulus, quod auctor Garelianum anno primo Romani imperatoris i. e. 919, a Saracenis occupatum putat. Falsa igitur est, quam attulit Saracenicae invasionis causa, infideles a Romano esse accitos, ut

---

1) Murat. script. t. II, 2. p. 730.

2) Ad a. 939. Pertz t. V. p. 385.

3) Histoire de France. t. I, p. 772. Beretti chorograph. Ital. Murat. script. t. X, p. CV, Fraxinetum inter Nicaeam et Monacum situm fuisse dicit, quem secutus est Muratorius, ann. t. V, p. 308., et nuperrime Sprunerus in mappis. Alteram sententiam amplexus est Pertzius, ut priore tempore Baudrandus in geographia et Martinierius in lexico geographico.

4) E loco quodam constitutionis Ludovici Provinciae regis Pagius t. III, p, 815 a. 888—890 coniecit. Muratorius chronico Novalicensi ut videtur deceptus, hanc Saracenorum invasionem ad a. 906 revocavit. Pertzius habet a. 891.

5) Murat. ann. t. V, p. 185. definire noluit, utrum haec irruptio a. 882. an priore tempore facta sit. Pratillus ex utilissimo chronico Neapolitano, Ioannis VIII papae epp. 226, 241, 246 et chron. Cinglesi, in quo legimus m. Aprili a. 881 Neapoli ad Garelianum Saracenos venisse, luce clarius demonstravit hunc annum tenendum esse, t. III, p. 54., probante chron. Cav. Saracenos a. 883, monasterio Casinensi diruto, ad Garelianum esse reversos. Recte igitur coniecit Muratorius ann. t. V, p. 194, qui pro a. 884, quo Erchempertus, Pertz. t. V, p. 259, et Leo Ostiens. Murat. script. t. IV, p. 320, illud monasterium exustum esse dicunt, a. 883 restituere volebat.

Apulos et Calabros seditionem facientes subiicerent. Haud scio an per errorum involucra vera perspexerim, si ab auctore illud bellum significatum esse coniiciam, cuius vestigium in uno, quod sciam, Vulturnensi chronico servatum est.[1]) Bellum dico eodem tempore a. 906 ab Atenulfo II et Landulfo, Beneventanorum et Capuanorum principibus, qui cum Saracenis foedere iuncti erant, contra Graecos secundo Marte gestum. Sed unum restat, quod moneam. A multis cum Angelo de Nuce[2]) in hoc quoque vituperatus est auctor, quod regionis, quam occuparint Saraceni, penitus ignarus, flumen Garelianum, apud quod praedones illos inveterasse scimus, cum monte quodam eiusdem nominis confuderit.[3]) At bene discernit auctor[4]) Garelianum montem a Gareliano fluvio, ut eum patriae regionum vix tam ignarum, ut voluerunt illi, crediderim.

Meliore dein ordine, quam in hac libri parte solitus est, Saracenos a Ioanne X. papa eiusque sociis a Gareliano esse expulsos, narravit auctor,[5]) quam illustrem christianorum victoriam a. 916 esse reportatam multi et locupletes testes confirmant.[6]) At unum est, quod e chronico Neapolitano et Cavensi afferam, quo clarius Muratorii mira

---

1) Murat. ann. t. V, p. 346.

2) Ad Leon. Ost. I, 45. ap. Murator. script. t. IV, l. l.

3) Erchemp. c. 51. Chron. Benedicti ap. Pertz. t. V, p. 257, 713. Chron. Neapolit. et Cavens. ap. Pratillum t. III, p. 56. t. IV. p. 401. Leo Ostiens. l. l. Sed montem quoque huius nominis exstitisse vel inde patere videtur, quod Erchempertus nunquam de rebus „ad" Garelianum, sed „in" aut „Gareliano" gestis scripsit. Pertz. t. V. p. 258, 260, 263.

4) II, 52.

5) II, 49—54.

6) Chron. Cavens. et Neapol. ap. Pratillum t. III, IV, l. l. Lupus Protosp. ibid. p. 20. Chron. Casaur. Dachery t. II, p. 940. Chron. Benevent. et Bened. ap. Pertz. t. V., p. 175. 714. Leo Ostiens. Murat. t. IV, 1. 53. falso numero 915 Sigonium, Baronium, Pagium in errorem induxit, quem emendavit Muratorius, ann. t. V. p. 337. A Benedicto et Lupo Protosp., qui Saracenos per 30 et 40 annos ad Garelianum sedisse volunt, tempus minus accurate descriptum esse, nemo non videt. Huius belli fecit quoque mentionem Bonizo in epitome pontif. Rom. Cfr. Hoefler. t. I, p. 337., sed falso hanc victoriam a Ioanne, fratre Alberici, reportatam esse dicit.

sagacitas hoc testimonio eluceat, qui, quod testantur chronica, coniecit, Berengarium imperatorem ad Saracenos expellendos auxilia misisse. Quod Liudprandum effugisse non est mirandum, quum ne consecrationem quidem Berengarii a Ioanne X. papa sub finem a. 915 factam tetigerit.[1]) Itaque negligentia vix condonanda rerum scriptorem Italum eadem aetate viventem, latuit summa imperii dignitas ad tres reges, Arnulfum, Ludovicum, Berengarium, delata.

Est nunc repetendum, quod auctor de priore Ioannis X. papae vita, deque artibus, quibus ad sanctam sedem pervenerit narrationi intexuit,[2]) quo nihil vehementius, non dico vituperationem, sed iram Muratorii et aliorum excitavit. Depinxit enim auctor Sergii III. et Ioannis X. paparum et Theodorae eiusque filiarum effrenatam libidinem. Hinc acerbae illae reprehensiones, Liudprandum Romanensibus fabulis famosisque libellis quam locupletibus testibus fidem habere maluisse.[3]) Verum est, scripsit auctor multis locis minus accurate, aut male instructus erat, sed contra libellum illum contumeliosum, quem secutus esse putatur, nemo melius auctoris patrocinium suscipiat, quam auctor ipse ex novissima operum editione. Illorum enim verborum loco, quibus Muratorius nisus est, Theodoram fuisse meretricem, „ut testatur vita eius“, Pertzius ex antiquissimo libro germanam lectionem restituit „ut testatus sum“; qua lectione famosa illa Theodorae vita, e qua Muratorio Liudprandus hausisse videbatur; neque minima pars criminum, quae cumulaverant in auctorem, deletur.

At haud pauca restant in hac narratione, quae num umquam luce satis donari possint, ambigo. Summa enim

---

1) A. 915 Berengarium imperatorem factum esse confirmat chron. Cav., quam sententiam iam Muratorius tuitus erat. Consecrationis diem inter 22. Nov. et 3. Dec. incidisse demonstravit Lupus t. II, p. 104.; poeta anon. Murat. script. t. II, 1. p. 411. eam ad diem paschae a. 916 retulit, quem secutus est Boehmerus in reg. Carol. Idem annus exstat in chron. Noval. Murat. script. t. II, 2. p. 822. et chron. Casaur. Dachery t. II, p. 940. Bünau Reichshist. t. IV. 260.

2) II, 48.

3) Ann. t. V, p. 319. 326.

difficultas vertitur in Ioannis X. historia, de qua paulo infra agam. Praeterea negavit Muratorius Sergium III, quod eodem loco legimus, fuisse Ioannis XI papae patrem e Marocia. Sed virum illustrem, haud parva opera in hanc defensionem collata, Flodoardi versibus, parum definitis, Leoni Ostiensi et Ioanni diacono, scriptori posteri temporis[1]), iusto plus dedisse, satis luculenter demonstravit Martinius. Neque bene Leonis Ostiensis auctoritate se tuitum esse Muratorium ex hoc apparet, quod I, 61 affirmat scriptor, fuisse Ioannem XI Alberici marchionis filium, idemque scripsit I, 54, quod effugit Muratorium, „temporibus — Ioannis papae XI, qui fuit filius Sergii papae.“ [2]) Et in catalogo paparum apud Eccardum, haec leguntur: „Ioannes XI, natione Romanus e patre Sergio papa.“ [3]) Marocia vero a Flodoardo quoque nominatur incesta, eamque cum Alberico marchione, Alberici principis patre, matrimonio fuisse coniunctam negat his verbis Benedictus: „Accepit (Albericus) una de nobilibus Romani, cuius nomine superest, Theophylacti filia[4]) non quasi uxor, sed in consuetudinem malignam“.

Non aliter Ioannis decimi patrocinium contra Liudprandum suscepit Muratorius, et contra Baronium, qui illius auctoritate nisus, eum nefarium invasorem vocaverat. Sed nescio an vir illustrissimus Ioannis memoriam ab hoc crimine

---

1) Mabillon museum Ital. t. II, p. 510. Murat. script. t. III, 2. p. 324.

2) Murat. script. t. IV.

3) Murat. script. t. III, 2. p. 324.

4) Eccardus in stemmate Marociae, in Orr. Guelf. t. I, p. 133. et Curtius de senatu Romano t. I, p. 181., non feliciter coniecerunt Marociam Constantini principis filiam fuisse, de quo Ann. Fuld. a. 894. legimus. De Marocia cfr. praeter Flodoardi versus, chron. eiusd. ad a. 933. Pertz. t. V, p. 381. et tabulam scriptam a. 3. Marini pontif. Ind. 3. d. 14. m. Ian. i. e. 945 ap. Ughellium t. I. p. 1026., quae his incipit verbis: „Quoniam certum est nos Albericus domini gratia humilis princeps atque omnium Romanorum senator, atque Sergio humili episcopo Nepesinae ecclesiae, nec non et Constantino, illustrissimo viro atque Bertae nobilissimae puellae uterinae et germanis fratribus, Marochae, quondam Romanorum senatricis filiis etc.“ Benedictus quoque Pertz. t. V. p. 714. vocat Marociam domnam senat

vindicasset, si haec verba alius auctoris, papae illius aequalis, legisset, quae ex invectiva in urbem Romam, paulo infra aliam ob causam consideranda, hic apponere liceat: „Kailo[1]) vero archiepiscopus (Ravennas) Petrum Bononiensem episcopum consecravit. — Defuncto vero Petro idem Ioannes Bononiensem ecclesiam, vivente Kailone archiepiscopo, contra omnem canonum auctoritatem invadere praesumsit; consecratus quoque missarum solemnia pontificali iure indigne exercuit, et inclitas consecrationes exegit, qua relicta sanctam Romanam et apostolicam ecclesiam nefariis ausibus usurpavit". Quibuscum verbis congruunt alia, paulo post Ioannis mortem scripta, quae in chronico S. Benedicti leguntur: „Ioannes archiepiscopus Ravennatis ecclesiae, invitatus a primatibus Romanae urbis contra instituta canonum agens Romanae ecclesiae invasor factus" etc.[2]) Non video quid obiici possit his auctoribus, qui idem, quod Liudprandus, Ioannem contra ius fasque et sanctorum instituta patrum, pontificii fastigium usurpasse dicunt. Dabimus igitur Muratorio, Amadesio[3]) aliisque, fuisse Ioannem strenuum ac fortem virum, ut probant res ab eo contra Saracenos gestae, ad summum autem honorem eum legitime pervenisse iis non dabimus; numque tam modestus fuerit, qualem finxerunt illi, valde dubitari potest.

At multa alia sunt in eadem narratione, quae accuratius cum verbis auctoris invectivae comparata, scrupulum tibi iniicient. Dicit Liudprandus Ioannem priore tempore a Petro, archiepiscopo Ravennati, Romam saepius nuntium esse missum; dein ad Bononiensem ecclesiam promotum,

---

1) Anastas. ed. Blanchini t. IV. p. LXXIV. Kailohis, archiepiscopi Ravennatis, nomen legitur quoque in codice traditionum Ravennatum, quem sub finem saeculi X conscriptum, Monachi edidit Bernhard.

2) Pertz. t. V, p. 199. in chron. S. Bertini in Martene et Durand thes. nov. anecd. t. III, p. 546. legimus: „Immo non ponitur in numero paparum."

3) Nimis vagi sunt Flodoardi et poetae anonymi versus, quibus Amadesius in chronotaxi antist. Ravenn. t. II, p. 75. ab omnibus criminibus papam defendere sibi posse videbatur. Effugit quoque eum Ratherii laudationem Ioannis opp. p. 538. non ad Ioannem X, sed XI huius nominis esse referendam.

quum Petrus mortuus esset, antequam ille Bononiae consecrari potuisset, Ioannem ad cathedram Ravennatem transiisse. Longe aliter invectivae auctorem rem tradidisse, verba docent supra laudata. Dicit, Petro defuncto, Ioannem Bononiensem ecclesiam contra ius fasque usurpasse, indeque S. Petri sedem invasisse. Erravit sine dubio uterque, Ioannem a Ravennati sede ad Romanam transiisse, praeter Flodoardi versus, chron. Cavens. et S. Benedicti,[1]) luce clarius ostendunt tabulae Ravennates. E quibus colligere licet a. 905 et 914[2]) eum hanc cathedram tenuisse; minime vero per totum tempus in eadem possessione permansisse, alia docet tabula Theobaldi cuiusdam Ravennatis archiepiscopi a. 907 scripta.[3])

Maiores vero tantasque nobis affert difficultates Petrus, Ioannis decessor in sede Ravennati, si sequeris Liudprandum, in sede Bononiensi, si sequeris auctorem invectivae, ut omnis paene lucis spes sublata sit. In nullo enim vetustiore catalogo archiepiscoporum Ravennatum, si fides habenda est Amadesio,[4]) Petrus, Ioannis decessor invenitur, et Rubeis, Papebrocius, Ughellius,[5]) mire se torquent, ut alius alio modo, Liudprandi Petrum in archiepiscoporum Ravennatum ordinem intrudat. Et revera in anonymi catalogo archiepiscoporum,[6]) post Constantinum, Ioannis successorem, legitur Petri nomen, qui, quod difficultatum quasi cumulus accedit, Bononiensis nomen habet et

---

1) Locis saepe laudatis.

2) Amadesii disquisit. t. II, p. 222. 228. Adde Fantuzzi monument. Ravenn. t. I. Ultima tabula in qua occurrit Ioannis archiepiscopi nomen scripta est a. pontif. Landonis d. 5. Febr. Ind. 2. i. e. 914.

3) Amades. t. II, p. 232. Recte igitur dicunt chron. S. Bertini et Turonensis, Martene et Durand thes. t. III. p. 546., t. V. p. 984: Ioannes — episcopus Ravennas, qui invasor ecclesiae ab omni populo Ravennatico fuit depositus. Idem legitur apud Platinam et Stellam in vitis pontificum. Ille: Praesul Ravennas is (Ioannes) antea; fuerat episcopatu deiectus populi tumultu. Hic: Quum violenter episcopatum Ravennatem occupasset, populi tumultu pulsus est.

4) Chronotat. t. II, p. 93.

5) Rubeis histor. Ravenn. p. 238. Ughelli Ital. sacra t. II, p. 254.

6) Murat. t. II, 1. p. 188.

ab a. 927 ad a. 971 cathedram Ravennatem tenuit.[1]) Si his omnibus tabulam addideris, signatam nomine eiusdem Petri archiepiscopi quarti iunioris,[2]) et apud animum constitueris, Agnellum saeculi noni scriptorem, tres, aut quatuor, ut quidam voluerunt,[3]) iam cognovisse Petros archiepiscopos quorum ultimus vocetur Petrus senior, dubitabisne, quin Liudprandi Petrus, quem fortasse cum Bononiensi quodam episcopo confuderit, ex ordine antistitum Revennatum penitus sit eiiciendus?

Ioannes X S. Petri sedem inter d. 9 et 19 m. Maji a. 914 adeptus est,[4]) falso igitur auctor decessorem eius, nomine praetermisso, his verbis descripsit, Landonem: „qui eum (Ioannem) iniuste ordinaverat papa defunctus est". Sergio papa enim sedente a. 905 Ioannes sedem Ravennatem occupavit, et Landonis pontificium a. 913 incepit. Sed hoc loco sortem Ioannis papae, quam tradidit Liudprandus[5]), paucis absolvam.

Legimus Widonem,[6]) Tusciae marchionem, uxoremque eius Marociam, quum Petrum Ioannis X pontificis fratrem, ob nimios, qui ei tribuerentur honores, interfecissent, ipsum Ioannem deiecisse. Unus, qui mentionem fecit huius contentionis inter Widonem et Petrum est Benedictus, luci nuper redditus. Scripsit enim:[7]) „Orta est intentio inter matrem Alberici et papa, et separatum est populum Romanum inter se. Erat denique Petrus marchiones, germanus suprascripti papae; talis odium et rixa inter Romanos et marchio, ut non in urbem Romam ingredi deberet".

---

1) Amades. chronot. t. II, l. l.

2) Ibid p. 248.

3) Bacchinius ap. Murat. script. t. II. 1. p. 116. 123., neque aliter Amadesius.

4) Append. de chronol. pontif.

5) III, 43.

6) Murat. antich. Estens. t. I, p. 239., ann. t. V, p. 340. et 379., ubi dicit se incidisse in tabulam quandam scriptam Luccae a. 928 Cal. Ian., in qua legerentur verba: Wido dux direxit missos suos. Orr. Guelf. t. I, p. 126. Adelberti, patris Widonis, epitaphium legitur ap. Fiorentin. p. 390.

7) Pertz. t. V, 714.

Petrum vero, quem Ortuensem marchionem fuisse scribit. Hungaros in auxilium vocasse, qui totam Tusciam essent depraedati.[1]) „Romani, pergit auctor, in ira commoti unanimiter ad palatium Lateranensis properantes, interfecto Petrus marchio, ad apostolicos nullus adtingit.“ Ioannem X pontificio esse expulsum, quod Benedictus silentio transiit, ab aliis testibus confirmatur. Quod enim levius in versibus significavit Flodoardus, plane dixit in annalibus ad a. 928 et 929, quo obiit pontifex[2]), „Ioannem papam a Widone, fratre Hugonis regis, propter simultatem quandam inter illos exortam, retrusum in carcerem.“ Et „Ioannes papa, dum a quadam potenti femina, cognomine Marocia, principatu privatus sub custodiam detineretur.“ Vivum eum esse depositum iusto dei iudicio, legimus in chronico S. Benedicti.[3]) De morte huius papae sic scripsit Liudprandus: „Aiunt enim quod cervical super os eius imponerent, sicque eum pessime suffocarent“. Idem chron. Cavens. et Beneventanum tanquam ab omni dubio remotum nobis tradiderunt.[4]) Si vero Flodoardum, scriptorem prudentem et providum sequimur, pontifex mortuus est, „ut quidam vi, ut plures astruunt, actus angore“. Videmus igitur auctorem non eam sententiam amplectentem, quae pluribus testibus esset confirmata, sed cuius indole portentosa ipse maxime delectaretur.

Sed in novum errorem incurrit auctor, a Baronio aliisque animadversum[5]) et a Martinio excusatum, cuius socrum habet Benedictum nuper editum; dicit Ioannis X succes-

---

1) Idem de Alberico marchione, Alberici principis patre, retulit Martinus Polonus ap. Schilter, et posteri quidam scriptores e. g. Stella in vit. pontif. Se nullum vestigium Hungarorum incursionis hoc tempore factae invenisse dicit Muratorius ann. t. V, p. 370.

2) Murat. script. t. III, 2. p. 324. Pertz. t. V, p. 378. App. de chron. pontif.

3) Pertz. t. V. p. 499.

4) Chron. Cav. 928. Pratill. IV. p. 440.: Ioannes papa strangulo sericeo occiditur a Widone Tuscanensi. Chron. Benevent. Pertz. t. V. p. 475.: Moritur papa Ioannes in castro tugulatus.

5) Ba- t. X, p. 781. Hirsch de Sigiberti vita p. 80. an. 1.

sorem a Widone et Marocia constitutum esse Ioannem XI, Sergii filium, quod factum est a. 931, quum e Flodoardo, chronico Cavens. et omnibus catalogis Leonem VI et Stephanum VII inter utrumque sedisse pateat.[1]) Quam vere autem Liudprandus turpissimum illud mulierum imperium descripserit, quo hoc tempore urbs Roma teneretur, Benedicti quoque testantur verba:[2]) „Domna senatrix unde superius diximus, ordinavit Ioannes consanguineum eius in sedem sanctissimus, pro quo undecimus est appellatus. Subiugatus est Roma potestative in manu feminae, sicut in propheta legimus, femini dominabunt Hierusalem."

Sed redeamus ex ordine libri ad coniurationem ab Adelberto, Eporegiae marchione, Odelrico, comite palatii, Gilberto comite et Lamberto archiepiscopo Mediolanensi contra Berengarium factam.[3]) Odelricum fuisse inter Berengarii inimicos vix credas, quum in tabulis imperatoris a. 916, 917 et 920 scriptis „incliti marchionis sacri palatii, gloriosi comitis" vel „carissimi fidelis, amabilis consiliarii" nominibus ornetur.[4]) Itaque post d. 25 m. Sept. a. 920, quo ultima eius mentio facta est,[5]) imperatoris gratia excidisse putandus est. Qua vero causa hoc factum sit, non minus tenebris reconditum est, quam marchionatus, quem Odelricus tenuit. Gilbertum, alterum coniurationis participem, in Rudolfi, Burgundiae regis, deprehendimus tabulis a. 922 et 924 „illustrem comitem et dilectum consiliarium".[6]) Hic an idem sit Giselbertus, qui postea comitis palatii nomine in Hugonis regis diplomate a. 926 invenitur, ad liquidum vix perduci potest.[7]) Neque Lambertus, ar-

---

1) App. de chronol. pontif.

2) Pertz. t. V. p. 714.

3) II, 57—64.

4) A. 916, Murator. ant. It. t. I, p. 369. A. 917, Moriondi monum. Aquens. t. I, p. 4. Murator. ant. It. t. I, p. 515. Boehm. 1358, 1359. A. 920, Ughelli t. IV, p. 61. Muratori script. t. II, 1. p. 416. Boehm. 1361, 63.

5) Murat. ant. It. t. V, p. 315. Boehm. 1364.

6) Lupi t. II, p. 125, Boehm. 1491. Campi storia di Piac. t. I, p. 482.

7) Murat. ant, It. t. I, p. 411. Ughelli t. IV, p. 345. Boehm. 1373, 74.

chiepiscopus Mediolanensis, m. Oct. 921 consecratus, si fides habenda Giulinio,[1]) in Rudolfi regis tabulis silentio praetermissus est a. 922 et 924 „dilectissimus consiliarius et fidelis".[2]) Vel ex his igitur actis publicis colligi potest, hos viros regis Burgundiae fuisse fautores, quem perfido consilio ab iis arcessitum esse, ut Berengarium expelleret, narrat auctor.[3])

Recte dein ab eodem esse traditum Berengarium Hungaros, eodem tempore Italiam invasuros, ut coniuratos delerent, excitasse, Flodoardi verba testantur: „Berengario, Langobardorum rege, regno ab optimatibus suis ob insolentiam eius deturbato, Rudolfus Cisalpinae Galliae rex ab ipsis in regnum admittitur, et Hungari actione praedicti Berengarii, multis captis oppidis, Italiam depopulantur". Quam cladem factam esse ante pascha a. 922 idem scriptor, m. Febr. chron. Benevent testatur.[4]). Ipsius vero Rudolfi regis tabulae, ut benecomputavit Lupus,[5]) regni initium a m. Ianuario a. 922 eum duxisse ostendunt. Itaque post Rudolfi in Italiam iter, a Berengario Hungari in auxilium vocati sunt. Imperatorem vero in vetus illud et saepe petitum Veronae asylum, Rudolfo victore, confugisse, ipsius docent tabulae a. 922 et 923 scriptae.[6])

Cruentissimum demum illud proelium, quod versibus descripsit auctor,[7]) a. 924 ab aemulis commissum esse, probat Flodoardus, cui sine dubio maiorem habebimus fidem, vera a Liudprando esse relata, quam Constantino Porphyrogenito[8]), qui ab occidentalium rebus non bene

---

1) Memorie spett. t. II, p. 144. Cfr. Saxium in serie archiep. Mediol. t. I, p. 327, et quae annotavit Lupus t. II, p. 121, qui emendarunt Papebrocii, Ughellii et aliorum sententias.

2) Murat. ant. It. t. VI, p. 325., t. II, p. 41. Lupi t. II, p. 125. Boehm. 1490, 97, 91.

3) II, 64.

4) Pertz. t. V, p. 175. 370. Chron. Cav. a, 921. Pratill. t. IV, p. 409. Eiusdem cladis meminit Rudolfus rex in tabula m. Dec. a. 922. Boehm. 1491.

5) Cod. dipl. Berg. t, II, p. 121., quem secutus est Boehmerus.

6) Boehm. 1369. 70. 71.

7) —

imp. c. 26. ed. P. p. 81.

instructus, duorum proeliorum mentionem fecit, in quorum altero Berengarius victor, de regno dividendo cum Rudolfo pactus sit. Eo mirabilius est quod ad verbum paene conveniunt Liudprandus et Constantinus. Ille dicit: „Unde factum est, ut totius regni media pars populi Rudolfum, media Berengarium vellet;“ hic: „Καὶ ὁ μὲν ἥμισυς λαὸς ἦν μετὰ τοῦ Βερίγγερι, ὁ δὲ λοιπὸς μετὰ τοῦ Ῥοδούλφου“. Bonifacium quoque marchionem, cuius calliditate et fortitudine Rudolfus, iam in fugam versus, victoriam reportaverit, in duobus regis diplomatis „strenuissimum marchionem et regiae potestatis consiliarium“ honorifice appellatum videmus.[1])

III.

RES ITALICAE.

ANTAPODOSIS III, 2—21; 39—52.

Secundo libro auctor insidiarum narratione finem imposuit, quibus Berengarius a Flamberto, cuius filium e sacro fonte susceperat, interfectus est. Quam atrocissimam caedem a. 924 perpetratam esse Flodoardus, et percussorem Φαλάμβερτον τὸν σύντεκνον fuisse Constantinus Porphyrogenitus testatur.[2]) Sed non ante Paviam ab Hungaris d. 12. Mart. a. 924 crudelissime dirutam et misere a Liudprando versibus defletam, Berengarius occisus est, ut vult auctor;[3]) probat chron. Cav.[4]) eum post pascha celebratum (d. 28. m. Mart.) esse interemtum. Neque accurate scriptum esse, quod legimus, Paviam, Rudolfo rege in Burgundia commorante, esse exustam, docent regis illius tabulae, d. 19. Febr.

---

1) Orr. Guelf. t. II, p. 417. 418. Boehm. 1495. 97.
2) Pertz. t. V, p. 374. De administr. imperii c. 26. ed. P. 82.
3) III, 2.
4) Pratill. t. IV, p. 440.

et 18. Aug. a. 924 in eadem urbe datae.[1]). At hoc saltem loco auctorem in describenda illa atrocissima Italorum clade non tam suo ingenio quam veritate usum esse, testes sint, quae apponam, Flodoardi verba: „Hungari ductu regis Berengarii, quem Longobardi repulerant, Italiam depopulantur. Raviam quoque, urbem populosissimam atque opulentissimam igne succendunt, ubi opes periere innumerabiles: ecclesiae 44 succensae, urbis ipsius episcopus cum episcopo Vercellensi, qui secum erat, igne fumoque necatur; atque ex illa paene innumerabili multitudine ducenti tantum superfuisse memorantur, qui ex reliquiis urbis incensae, quos inter cineres legerant, argenti modios octo dederunt Hungaris vitam murosque civitatis vacuae redimentes.“

Quae de ultimis rebus, quas gessit Rudolfus apud Italos legimus[2]), deque eius consuetudine cum Ermengarda, Adelberti Tusciae marchionis filia, habent sine dubio aliquid, quod e rumore, in hominum ore versante, haustum esse recte dixit Muratorius.[3]). Ermengardam, de cuius effrenata licentia incredibilia paene narravit auctor, fuisse mulierem libidinosam, e Flodoardo quoque videmus, a quo ad 926[4]) docemur, Rudolfum, uxore vivente, se cum altera quadam muliere coniunxisse. Quam nullam aliam fuisse nisi Ermengardam testis est tabula d. 18. Aug. a. 924, in qua filios illius mulieris, Berengarium et Anscarium marchiones, filios suos Rudolfus rex appellavit, matremque „regiae potestatis consiliatricis“ nomine, in alia tabula, d. 8. Oct. a. 924 data, ornavit.[5])

Eiusdem mulieris frater Hugo, Provinciae comes, ut Rudolfum regno expelleret, in Italiam vocatus est,[6]) quod a. 926 factum esse, non modo Flodoardus et chron. Cav.

---

1) Boehm. 1493, 95. Giulini memorie t. II, p. 163.
2) III, 7—15.
3) Ann. t. V, p. 368.
4) Pertz. t. V, l. l.
5) Orr. Guelf. t. II, p. 117. Boehm. 1495.
6) III. 12—16.

confirmant, sed Hugonis quoque diplomata, a Lupo diligenter inter se comparata, regni initium d. 9. m. Jul. eiusd. a. fuisse ostendunt.[1]) Unum vero habet Liudprandus,[2]) quod apud Constantinum Porphyrogenitum solum invenitur; iam Berengarii tempore Hugonem, ut regnum peteret, in Italiam venisse. Scribit enim Constantinus, Berengario imperante, venisse tres marchiones in Italiam, Hugonem, Taliapherni filium, Bosonem et Hugonem, Bosonis fratrem, εὐγενέστατον ῥῆγα; ἦλθε δὲ μετὰ λαοῦ ἱκανοῦ: καὶ μαθὼν ὁ Βερηγάριος ἡτοιμάσθη, καὶ ἀπῆλθεν εἰς συνάντησιν αὐτοῦ πρὸς πόλεμον, καὶ παρακαθίσας ἐστενοχώρησεν αὐτοὺς ἀπὸ λιμοῦ, eosque, quum redeundi veniam nudis pedibus petiissent et iusiurandum dedissent, dimisit.[3])

Ultimum, quod fecit Rudolfus rex Italiae recuperandae periculum, Burchardi soceri, Alemannorum ducis, auxilio fretus, uberius exposuit Liudprandus.[4]) De Burchardi, strenuissimi ducis, morte praeter Flodoardum ad 926, scriptor Alemannicus, et Ekkehardus iunior[5]) brevius scripserunt, eum de equo decidisse. Nostri narrationem, insidiis ducem esse interfectum, his verbis probat auctor vitae St Wiboradae:[6]) „Ipse (Burchardus) dolositate illius gentis praeventus, dum studet evadere, subito lapsu infrenis equi in foveam, veluti casui illius praeparatam, cecidit, hocque insperato obitu miserabiliter vitam finivit“.

Paucissima ad sequentia capita[7]) sunt annotanda, quum in Hugonis foedere cum Ioanne X papa inito, ab omnibus,

---

1) Pertz. t. V, Pratill. t. IV, l. l. Cod. dipl. t. II, p. 152. De Hugone eiusque origine recte primus disseruit, falsasque priorum sententias refutavit Beslius in commentatione, la vraye origine de Hugues, in libro histoire de Poitou, 1647; quem secuti sunt Chorier, histoire de Dauphiné, p. 717.; Duchesne, histoire de Bourgogne, p. 128.; Bouché, histoire de France, p. 786.; Eccard in orr. Habsb. p. 147.; Scheid in orr. Guelf. t. I, p. 47. Vollhardt in dissert. Hugo Italiae rex. Lips. 1738.

2) III, 12.

3) De administr. imper. l. l.

4) III, 13—15.

5) Pertz. t. I, p. 56. et II, p. 103.

6) Act. sanct. ord. Bened. ed. Mabill. saec. V, p. 52.

7) III, 16—20.

quod sciam, testibus simus destituti, deque aliis rebus, ab auctore hoc loco narratis, iam suo loco actum sit. De Walperti et Gezonis, quae restat, coniuratione contra Hugonem, praeter Liudprandi narrationem,[1]) nihil inveni, nisi paucas quasdam tabulas, in quibus nomina quaedam signata sunt. Neque certa sunt Walperti vestigia in Hugonis regis literis, certiora fortasse in Berengarii tabulis, in quibus an. 910, 915, 917 et 921 nomen domni Walperti regis aut imperatoris iudicis, occurrit.[2]) Samsonis comitis, qui, Liudprando teste, regi fidelissimum se praebuerat in tanto periculo, apud Rudolfum regem a. 924 semel, apud Hugonem „dilectissimi consiliarii" nomine his inveni mentionem a. 930, 932.[3]) Multum abest, fateor, ut tam exili praesidio Liudprandi narrationi, a Muratorio ad a. 930 revocatae, fides aliqua conciliari posset, si quae legimus sua natura a veritate abhorrere viderentur. Sed talem coniurationem ab illorum temporum indole non fuisse alienam, verba probant monachi cuiusdam Bobbiensis, Hugoni aequalis, qui narrat, regem Gerlanno, cancellario suo, abbatiam Bobbiensem, quae a nobilibus quibusdam occupata esset, dare non potuisse: „metuebat enim eos, si aliquid contra eorum voluntatem ageret, ne regni damnum incurreret, quia scimus contra eum saepius rebellasse."[4])

---

1) III, 39—41.

2) Murat. ant. It. t. I. p. 125. Boehm. 1342. Ib. t. VI. p. 305., t. II. p. 969. Tiraboschi Modena t. I. p. 97. Sed alia quaedam huius Walperti exstare videtur memoria, Paviae Walperti turriculo, in qua Ratherius captivus praeloquia sua composuit, ut ipse testatur in ep. ad Joann. pap. Opp. p. 542.

3) Campi stor. di Pinc. t. I. p. 482. Murat. ant. It. t. II. p. 938. p. 57. Boehm. 1386. 88.

4) Mabill. act. ord. Bened. saec. II, p. 44. Eliud. annal. Bened. t. III, p. 396. Murat. ann. t. V. p. 398. Gerlannus abbas munere archicancellarii functus est a. 932—936, ut docent tabulae nomine eius signatae. Quae vero fuerit apud posteros Hugonis regis memoria, testatur chron. Novalic. Murat. script. t. II, 2. p. 734., in quo praeter alia hoc potissimum legimus: „Hic denique mittens auriculares et praecones, qui lustrarent civitates et castella, ne homines inconsulte loquerentur de eo. Tantus namque pavor invasit cunctos, ut minime auderent loqui palam de eo etc.

Hugonem post mortem Widonis, Tusciae marchionis fratrisque uterini, a Marocia vidua, ad matrimonium Romaeque urbis regnum accitum esse, quod Muratorius[1]) a. 932 factum esse dicit, haec Benedicti verba confirmant: „Mater Albericus principis Romani, legatos mittens a Ticine civitatis ad Hugo quedam rex Langobardo, ut sibi matrimonio copularet. Sic adimpletum est".[2]) Apud Flodoardum quoque in versibus legimus, Marociam rerum fastigium moecho tradere conatam esse, et idem in annalibus scribit, Francorum legatos Roma a. 933 reversos, narrasse: „Ioannem papam, filium Mariae, quae et Marocia dicitur, sub custodia detineri a fratre suo Alberico, qui matrem quoque suam Marociam clausam servabat et Romam contra Hugonem regem tenebat".[3]). Itaque non credimus auctori cum Hugone rege Marociam una esse Roma expulsam.[4]) Neque minus probatam video suspicionem, expulsionis causam e vulgi rumore esse petitam, colaphum ab Hugone rege Alberico aquam effundenti infractum. Benedictus enim veram sine dubio causam tradidit: „Post nuptias celebratas in castro S. Angeli rex cum regina ascendit, cogitavit rex pessima, ut oculos Albericis privigni sui erueret et Romanum regnum in sua redigeret potestatis. Cognita Albericis calliditatem regis, fides spopondit cum Romanis, coeperunt tuba canere etc. Formidare coepit cor regis una cum regina; in Langobardia est reversus".

His paucis exceptis ultima libri tertii capita summa testium inopia premuntur. Uni enim Liudprando debemus narrationem de turpissimis insidiis ab Hugone rege et Bosone fratre, Lamberto, fratri uterino, structis,[5]) quibus eum Tusciae marchionatu expulerunt et oculorum lumine privarunt. Cuius Lamberti mentionem nusquam invenire potui; diploma quoddam d. 1. m. Iul. 932, in quo Bosonis „illu-

---

1) Ann. t. V, p. 384.
2) Pertz. t. V. p. 715.
3) Pertz. t. V, p. 384. Murat. script. t. III, 2. p. 324.
4) III, 45.
5) III, 46.

strissimi marchionis" nomen legitur, probare videtur, Lambertum hoc fere tempore, an. 931 vult Muratorius, deiectum esse.[1])

Eodem tempore, pergit auctor,[2]) Hugonem regem omnem terram, quam in Gallia possideret, Rudolfo, Burgundiae regi cessisse, ne hic Italiae regnum armis denuo peteret. Quod, si fides habenda Liudprando, a. 933 factum esse videtur. Sed has res ab auctore non accurate narratas esse, Flodoardus ad a. 928 probat; et tabulae quaedam docent, Hugonem neque uni Rudolfo neque omnem, quam tenebat possessionem, cessisse. A. enim 928, cuius d. 12 m. Nov. Viennae morabatur,[3]) „dedit Heriberto comiti provinciam Viennensem, vice filii sui Odonis." Neque omnia Rudolfo eum dedisse apparet ex ipsius tabula a. 945, qua locos quosdam in Viennensi comitatu sitos tradidit ecclesiae, et ex altera Berthae neptis, quae se Hugonis avunculi heredem profitetur.[4])

Narrationi denique de expeditione Arnulfi, Bavarorum ducis, contra Hugonem regem, auctor praemisit nonnulla[5]) de Hilduino et Ratherio episcopis, qui ut maiora peterent, e Lotharingia in Italiam profecti erant. Hilduinum enim, qui post contentionem cum Richario, e propria sede Leodiensi a. 922 expulsus, et a Ioanne X. excommunicatus erat, Hugo rex,[6]) consanguinitatis vinculo cum eo coniunctus, Veronensem fecit episcopum „ad stipendii usum," ut dicit

---

1) Orr. Guelf. t. I, p. 242. Boehm. 1389. Murat. ann. t. V,

2) III, 47.

3) Bouq. t. IX, p. 690. Boehm. 1382. Flod. ann. Pertz. t. V, p. 378.

4) Orr. Guelf. t. I, p. 70. Boehm. 1416. De Berthae tabula vide supra pag. 48. Quod de hac cessione Duchesnius, Boucheus aliique finxerunt, satis refutarunt Pagius t. III, p. 227, Murat. ann. t. V, p. 397. Uberrime de eadem re disputarunt auctores libri histoire de Languedoc t. II, p. 551, quorum est sententia, quod inter Alpes et Rhodanum fluvium situm fuerit, Rudolfo esse datum.

5) III, 42, 48—52.

6) Pertz. t. V, p. 577. In eiusd. legg. monum. t. I cfr. literas hanc contentionem illustrantes. Fulcuin. de gest. abb. Lob. 19. Dachery t. II, pag. 736.

Liudprandus. Idem legitur in Ratherii epistola ad Ioannem his verbis:[1]) „Notgero faustae recordationis episcopo, ut remur, meliora petente, datum episcopium est meo domino Hilduino iure stipendario, promisso regis, qui me tunc oppido, ut credebatur, diligebat, manente, quod, ubi illum altius promovendi locus emergeret, ego petentibus darer episcopus.“ Quod postea factum esse apud Liudprandum legimus. Notgerus enim episcopus mortuus est m. Aug. a. 928, ut demonstrarunt Ballerini e sepulcrali illius inscriptione, adhibita tabula quadam, mense Julio a. 929 scripta, in qua Hilduini episcopi, Notgeri successoris, mentio exstat. Et Ratherius in libro de qualitatis coniectura, a. 966 composito, indicavit iam fere quadraginta, in epistola ad Ioannem papam, ann. 951 vel 952 data, viginti nunc praeteriisse annos, ex quo potentiam ambire coeperit.[2]) Quo igitur tempore cum Hilduino in Italiam venerit, satis apparet.

Minus accurate vero Liudprandus significavit tempus, neque consentiunt inter se viri docti, quo, Lamberto, Mediolanensi episcopo mortuo, Hilduinus in huius, Ratherius in Hilduini locum suffectus sit. Recte sine dubio vidit Saxius,[3]) Lambertum obiisse an. 931, quod sua computatione Ballerini probarunt; Ratherium vero mense Aug. a. 932 Veronensium episcopum consecratum esse, recte, ni fallor, statuerunt iidem viri docti,[4]) quum dimidio et duobus annis post consecrationem se in carcerem coniectum esse ipse profiteatur. Arcte enim haec cohaerent cum tempore, quo Arnulfus, Bavarorum dux, contra Hugonem expeditionem suscepit, et Ratherius proditionis particeps vinculis manda-

---

1) Opp. ed. Ballerini p. 538. Sunt verba descripta a Fulcuino l. l. Cfr. Mabillon act. sanct. ord. Bened. saec. V, p. 478.

2) Opp. p. 388, 537. Praef. Ballerin. p. XXXV.

3) Saxius series archiep. t. I, p. 346, quem secuti sunt Murat. ann. t. V, p. 306, Giulini t. II, p. 190. Si Papebrochum audis act. sanct. m. Maj. t. VII, p. LXXII, et Pagium t. III, p. 825, obiit Lambertus an. 932, si Ughellium t. I, p. 94 a. 930. De die dissentiunt catalogi, quorum unus 19 Jun. ap. Murat. script. t. IV exhibet, alter 24 Maj. in Frisi memorie storiche di Monza t. III, p. 147.

4) Rath. opp. p. XXXIX, XL.

tus est. Quam incursionem a. 935 factam esse e Ratherii scriptis docuerunt Ballerini,[1]) et episcopum m. Febr. captum esse ann. Salisburgensium auctoritate confirmarunt, in quibus legimus Odelbertum archiepiscopum de invasione Italiae redeuntem a. 935 obiisse.[2])

Quod de singulis rebus in hoc bello gestis tradidit Liudprandus, neque alios habet testes, neque a veritate abhorrere videtur. Libere saltem dixit, quod Ratherius ipse in scriptis suis, involucris quibusdam, ut videtur, tegere voluit, Arnulfum ab hoc episcopo et Milone comite, ut Hugonem expelleret, esse invitatum. Et credes profecto hoc verum esse, si apud Ratherium legeris, iurasse Hugonem regem, „quod diebus vitae suae de ipsa ordinatione non esset gavisurus.“ Neque negat Ratherius, etsi obscurius, aliis nonnullis locis, se culpa quadam teneri; scribit enim in epistola ad Ioannem sibi insidias ab Hugone rege esse structas, „ut in illum excederem et ut expellendi me inveniret occasionem. Nactus est, cepit me, retrusit in custodiam in quadam Papiae turricula, non dico sine mei culpa, qui enim inter talia saltem in verbo non offendit, hic perfectus est vir.“[3]) Obscura, ut solet, oratione, sed nihilominus apertius se ab Hugone defecisse concedit his verbis: „Abiurata Hugoni pro fide ambitionis atque animositatis, immo oblivionis eorum, quae nunc merito patior, — non debes, miserrimus dico, conscientia, quae nunc ipsa loquar mirari; pro scelere, praesidiorum pro constructione vel reconstructione quot homicidia, exoculationes, exmembrationes, praedae, incendia, vastitas ac depopulationes contigerint.“[4]) Si

---

1) Praef. ad. Rath. p. XLIV, XLV. Pagius t. III, p. 825 ad a. 934 aut 935 expeditionem revocare vult; illum annum Muratorius, hunc Ballerini Martinius et Waitzius, Jahrb. t. I, 1 p. 120 tuiti sunt et Pertzius ad Liudprand. III, 48.

2) Ultima Odelberti tabula scripta est d. 18 m. Maj. 935 ad Mulidorf; Kleinmayr Iuvav. in cod. trad. Odelb. Hansizius, German. sacra t. II, p. 145, libro quodam msc. fretus, dicit Odelbertum d. 14 Nov. 935 mortuum esse, quod satis commode cum Ratherii narratione coniungi potest.

3) Ep. ad Joann. p. 539.

4) Dialog. confess. p. 250. Est tertius locus Praeloq. III, p. 98 quo

talia ipse Ratherius confitetur, vix credamus, quod alius illius temporis auctor, Ruotgerus de eodem dixit, ex quadam levi suspicione, ut mos sit Italorum,[1]) Verona eum expulsum esse. Fulcuinus, qui Ratherii aequalis, in libro de gestis abbatum Lobiensium vitam eius narravit, hoc unum utrum proditionis particeps fuerit, nec ne, silentio texit; literas haud vulgares, quae in eo fuerint, laudat, sed virum fuisse acris animi miraeque levitatis. Sed tenendum est hoc scriptum esse ab aemulo de aemulo.[2]) Milonis, Veronensis comitis, quem Liudprandus summa calliditate a rege defecisse narrat, nomen saepius apud Ratherium occurrit; sed nemo, credo, nostri auctoris narrationem in dubium vocabit, quia Ratherius eam praeterierit.[3])

IV.

RES BYZANTINAE.

ANTAPODOSIS I, 6 — 12. III, 22 — 38.

A Basilio, Macedonicae domus conditore et avo Constantini Porphyrogeniti, principium duxit Liudprandus, quod imperatoris cognomen, etsi falso, ita tamen hoc loco auctor declaravit, ut eum ab his rebus non male fuisse instructum appareat.[4]) Dicit enim Constantinum

---

uberrime de eadem re et de proditione, qua deceptus sit, disserere videtur; sed tam perplexa oratione, tamque caute res significavit, ut vix verborum sensum assequi possis. Inter alia dicit se auctorem totius moliminis esse indicatum, et p. 99. „me, ut videtur, neglexi; dum vobis, vestrae licet molitionis ex parte conscius, peperci, me prodidi.“ Mentionem quoque fecit gentis efferae et barbarae, a parte contraria venientis.

1) Vita Brunon. Leibn. t. I. p. 285.

2) Dachery t. II, p. 737, 740.

3) Opp. Rather. p. XLV. Milonis fidelis nomen in tabula a. 940 invenitur, Affo Parma t. I, p. 346.

4) I, 6, 7.

fuisse Porphyrogenitum vocatum, non quia in purpura, sed quia in domo Porphyra natus esset. Scimus quidem ex Annae Comnenae aliorumque scriptorum locis, domum illam imperatricibus parturientibus paratam, magni palatii fuisse partem;[1]) sed ipse vocatur Constantinus πορφύρας βλαστὸς,[2]) et Porphyrogenitum eum esse, qui post imperatoris dignitatem a patre adeptam natus sit, tradidit Psellus.[3])

Quod retulit Liudprandus de Basilii humili origine, deque fortuna eius, qua ad imperatoriam dignitatem evectus sit,[4]) Basilii nepotem aliosque habet testes locupletissimos. Vanam enim esse Constantini de sua avique origine iactationem, quam repetivit Genesius,[5]) maiores suos ex Arsacidarum vel Constantini M., quod iam refutavit Liudprandus,[6]) vel Alexandri M. sanguine esse oriundos,[7]) nemo non videt. Cedrenus quoque et Zonaras,[8]) quibus adulandi causa tempore praecisa erat, ut Liudprandus, Basilium πατέρων ἀσήμων καὶ ἀφανῶν fuisse testantur. Et quod scripsit auctor noster, Basilium πτωχείας causa Constantinopolim profectum esse, vel ipse Constantinus speciosiori involucro tegere non potest; dicit eum in urbem venisse, ἑαυτῷ τε καὶ τοῖς αὐτοῦ προςποιήσαι τὰ δέοντα.[9])

Consentiunt in hoc quoque cum nostro Byzantini scriptores,[10]) Basilium in monasterium quoddam receptum, deinde in aulam imperatoris adscitum, non ab ipso quidem imperatore Michaele, ut habet Liudprandus, sed a consobrino eius Theophilitza, tum protostratoris dignitate orna-

---

1) Ducangii Const. christ. p. 120.
2) Theoph. cont. t. V, 48 ed. P. 175.
3) Ducangii glossar. med. graecit. s. h. v.
4) I, 8, 9.
5) IV. ed. Ven. p. 51.
6) I, 7.
7) Theoph. cont. V, 2 ed. P. 134, 135.
8) ed. P. 557. 163.
9) Theoph. cont. V, 7 ed. P. 138.
10) A Martinio p. 39 collecti.

tum, et denique ad imperii fastigium evectum esse.[1]) In Michaelis temeritate etiam, qua amicos capitis damnabat, concinentes, ad solam temulentiam, qua saepius imperator oppressus fuerit,[2]) revocant Byzantini, quod Liudprandus mentis insania perpetratum esse scribit. Et in eo ad rerum veritatem propius sine dubio accessit scriptor occidentalis, quod Basilium et timore, ne quis ex illa imperatoris vesania interitum ipsi pararet, nec minore regnandi cupiditate excitatum, necasse imperatorem dixit. Percussoris enim nepos, Constantinus, qui hoc silentio tegere malebat, ne avo maculam attulisse videretur, et continuator Constantini hoc facinus ab amicis Basilii perpetratum scribunt, quin eo usque Genesius progressus est, ut confirmaret, eum nullo modo ad imperatorem interimendum potuisse incitari.[3]) Contra a Liudprandi partibus stant Cedrenus, Zonaras, Simeon magister et Georgius monachus.[4]) Haec imperii conversio d. 23 Sept. a. 868 facta est.[5])

Etiam visionis illius, quam habuisse Basilium, conscientiae stimulis punctum, dicit Liudprandus,[6]) exstat Byzantinus quidam testis, Gregorius,[7]) qui narrat Basilium vidisse Michaelem, decessorem mortuum, qui ei haec exprobrasset: „τί σοι ἐποίησα ἢ τί σοι ἠδίκησα ὅτι οὕτως ἀνηλεῶς με κατέκτεινας. Haec satis bene ad ea verba consentiunt, quibus Basilium a Christo, per somnum viso, castigatum esse narrat Liudprandus, ἵνα τι ἔσφαιζες τὸν δεσπότην σου βασιλέα; Aedem sacram vero, quam Basilius in Michaelis archangeli honorem aedificari iussit, ut inter-

1) Theoph. cont. V, 13, 18. IV, 43. ed. P. p. 144, 149. Genes. IV, ed. Ven. p. 53.

2) Theoph. cont. V, 26. IV, 44.

3) Theoph. cont. l. l. Genes. ed. V. p. 54.

4) Cedren. p. 567. Zonar. p. 166. Sim. mag. p. 451. Georg. monach. pag. 541.

5) Krug Chronol. d. Byz. p. 2. qui Ducangium, Labbeum, Ritterum, Schloezerum refutavit.

6) I, 10.

7) Excerpta e Gregorii vita Basilii. Scrpt. post Theoph. p. 394.

fecti imperatoris manes placaret, uberius descripsit Constantinus.[1])

Primum deinde locum inter res a successoribus Leonis imperatoris gestas, quem duabus historiolis breviter auctor absolvit,[2]) tenet Romani Lacapeni praeclarissimum facinus,[3]) qui πτοχος, ut scribit Liudprandus, in bello quodam Saracenico leonem percussit. Hunc virum obscuriore loco natum esse, testantur scriptores Byzantini,[4]) a quibus rarius tantum differt Liudprandi narratio. Narrat auctor,[5]) Romanum, Leonis et Alexandri imperatorum morte audita, (obiit Alexander a. 913,) cum classe Constantinopolim profectum, in palatium venisse. Sed a. demum 919 eum a Theodoro, Constantini Porphyrogeniti paedagogo, esse accitum, ut imperatorem a Constantino accubitore defenderet, qui in suspicionem incurrerat, ne in Leonis Phocae, magistri domestici, favorem nova moliretur, continuator anonymus uberius exposuit.[6]) Hunc accubitorem postea, quum in classem venisset, Romani iussu vinctum et in sentinam navis proiectum esse, et legimus apud Liudprandum, et affirmat Byzantinus, εἰς τὴν τοῦ δρουγγαρίου Ῥωμανοῦ τριήρη εἰσήγαγον καὶ ἐν τῇ ἀσφαλείᾳ κατεῖχον. Num in hac conversione Romanus, ut vult Liudprandus, a Zoe imperatrice, Constantini matre, quacum amoris vinculo coniunctus fuisse dicitur, sit adiutus, valde dubitari potest. Erat enim Zoe, Constantini accubitoris fautrix, quocum una ex imperio deiecta, et insidiis Romano structis διὰ πεφαρμαγμένων βρωμάτων, ut dicit continuator,[7]) in monasterio inclusa est.

Quae dein legimus[8]), Leonem Phocam, Romani aemulum, quum hunc imperatoris patrem factum esse audierit, cum Bulgaris dimicaturum in fugam se vertisse, etsi non

---

1) Theoph. cont. V, 70. ed. P. p. 196.
2) I, 11, 12.
3) III, 26.
4) Collecti a Ducangio fam. Aug. p. 146.
5) III, 26.
6) Theoph. cont. VI, 11. ed. P. 241. Krug. p. 133.
7) Theoph. cont. VI, 6, 11, 16. ed. P. 238, 242, 245.
8) III. 27. 28.

probantur continuatoris testimonio, habent tamen testem, fide alias dignum, Leonem Diaconum, et post eum Cedrenum et Zonaram.[1]) Quum ex horum narrationibus pateat, iam illo tempore duplicem de Leonis Phocae clade a Bulgaris accepta, opinionem exstitisse, non sane magno vitio dabimus scriptori peregrino, veriorem sententiam eum non amplexum esse. Est enim falsa sine dubio Leonis Diaconi sententia. Magna illa clades, qua Graecos a Bulgaris Phocae proditione fugatos tradunt illi scriptores, est proelium atrocissimum a. 917 apud Acheloum fluvium commissum,[2]) de quo continuator dicit, *χύσις οἵα ἐξ αἰῶνος οὐ γέγονεν*, et longo tempore post campum ossibus plenum fuisse affirmat Liudprandus. Hoc vero a. 917 Zoe pro filio adhuc imperium tenuit, et m. Aprili demum a. 919 Romanus pater imperatoris declaratus est.[3]) Veram stragis illius causam, quam Cedrenus et Zonaras in sua quoque compendia receperunt,[4]) tradidit continuator, Pazinacos, Graecorum contra Bulgaros socios, a Romano Danubium fluvium iusto tempore non esse traiectos, cuius negligentiae poenam oculis ille solvisset, nisi ab amicis quibusdam servatus esset.[5]) Leonem Phocam denique captum lumineque oculorum privatum esse, cum Liudprando[6]) narrant scriptores Byzantini, sed verius sine dubio noster tradidit, quod continuator his verbis texit, Phocam ab iis, qui missi essent, ut eum caperent, esse caecatum, *μηδεμίαν περὶ τούτου δεξαμένων ἐντολήν — ὡς ἀγανακτῆσαι ἐπὶ τούτῳ Ῥωμανόν.*[7])

Quomodo denique Romanus Helenam filiam Constantino in matrimonium dederit, ipseque Caesar, dein imperator factus, Christophoro, Stephano et Constantino filiis diadema imposuerit, et Porphyrogenitum e primo loco impe-

---

1) Leo Diac. VII, 7. Cedren. p. 613. Zonar. p. 185.
2) Theoph. cont. VI, 10. ed. P. p. 240. Krug. p. 130.
3) Theoph. cont. VI, 13. ed. P. 244. Krug. p. 134.
4) Locis supra laud.
5) l. l. 10. ed. P. 244.
6) III, 28.
7) Theoph. cont. VI, 14. ed. P. p. 245.

rii deiecerit; in his omnibus auctor Italicus[1]) et continuator Byzantinus inter se consentiunt.[2]) Accuratiores quoque quas adiecit temporum descriptiones, Liudprandum probe instructum fuisse ostendunt. Romanum basileiopatrem esse creatum dicit eodem anno, quo Helenam filiam Constantino uxorem dederit, et secundo anno post Caesaris eum dignitatem arrogasse. Recte; paschae enim die ann. 919, quo fere tempore celebratae sunt nuptiae, illum, m. Sept. a. 920 hunc honorem adeptus est, et eodem anno m. Decemb. ipse imperator factus, m. Maj. an. 921 Christophorum filium consecrari iussit.[3]) Et quum Maria, Christophori filia, Petro, Bulgarorum principi, m. Oct. a. 927 nupsisset,[4]) Constantinum, imperatorem legitimum, Bulgaris petentibus, in honorum ordine, Christophoro, filio postposuit, qui paucis annis post, m. Aug. a. 931, mortuus est.[5]) Iuniores denique Romani filii Christi nati solemnibus anni 924 coronati sunt.

Leviores quosdam errores in rebus adornandis, quae tempore tam arcte cohaerent, auctori facile condonabis. Sunt enim Mariae nuptiae non post Christophori patris mortem celebratae, ut voluisse Liudprandus videtur, neque matrimonio illo Simeonis, Bulgarorum principis furor sedari potuit,[6]) quem virum iam m. Maj. an. 927 mortuum esse scimus.[7]) Novum vero Irenes nomen quod Maria hoc foedere accepit, ut alia quaedam de Simeone tradita, uni Liudprando debemus. Illum enim fuisse semigraecum et monachum e monasterio profugum,[8]) apud nullum Byzantinum scriptorem inveni; neque portentum illud, unum e Simeonis filiis, Baianum fuisse magicum, qui in lupum

1) III, 30, 35—37.

2) Theoph. cont. VI, 13, p. 244 sqq.

3) Krug. p. 133. sqq.

4) III, 30. Legat. 16, 19. Theoph. cont. VI, 23. ed. P. p. 256. Krug. pag. 168.

5) Theoph. cont. 7, 31. ed. P. 253, 261. Krug. p. 156, 173.

6) III, 38.

7) Theoph. cont. VI, 20. Krug. p. 165.

8) — 22.

vel aliam quampiam foram se mutare potuerit. In quo Baiano latere credo Beniaminum, Petri fratrem, cuius mentionem fecit continuator Constantini.[1]) Neque ex alio nisi e vagi rumoris fonte hausta videntur, quae auctor de Constantini Porphyr. studiis in otio narravit, imperatorem „opere manuum victum quaeritasse.“[2]) Literis eum vacasse, et quibusdam artibus haud imperitum fuisse, e continuatore, Cedreno et Zonara constat, quorum ille, quod Liudprandus de pictura exercenda scripsit, his verbis probavit: *τὴν δὲ τῆς ζωγραφίας τέχνην τοσοῦτον ἀκριβῶς ὁ ἀνὴρ ἠπίστατο, ὡς οὐκ οἶμαι τῶν πρὸ αὐτοῦ ἢ τῶν μετ' αὐτόν.*[3])

V.

RES GERMANICAE.

ANTAPODOSIS I, 13. II, 1—6, 17—31.

In ea Antapodosis parte, quae res Germanicas continet, ante auctoris aetatem gestas, narrandi initium fecit ab Arnulfi imperatoris consilio imprudentissimo, quo Hungaros contra Moravos in auxilium adsciverit. Locupletes haec res habet testes, scriptorem Fuldensem, Sangallensem, et Widukindum.[4]) Quos si viderimus vulgarem illius aetatis, falsam vero opinionem amplexos esse, ab Arnulfo clusas, quas dicunt, apertas esse, quibus Hungari tenerentur,[5]) nemo mirabitur, Liudprandum haud aliter fecisse. Quanta clade

---

1) Theoph. cont. VI, 22. ed. P. 255. Ducangii fam. Aug. p. 311.

2) III, 37.

3) Theoph. cont. VI, 22, 14. ed. P. p. 280, 277. Cedrenus p. 635. Zonar. p. 193.

4) Jahrb. t. I, 1 p. 5 a. 6.

5) Liudpr. I, 13. Widuk. I, 19. Pertz. t. V, p. 426: Victi autem a magno Carolo et trans Danubium pulsi ac ingenti vallo circumclusi prohibiti sunt a consueta gentium depopulatione. Imperante autem Arnulfo destru-

Ludovicus filius ab his Arnulfi patris sociis affectus sit, uberrime descripsit auctor,[1]) ad illam, ut Pertzio aliisque videbatur, pugnam respiciens, qua Francos a. 910 fugatos esse traditum est.[2]) Tributi, quod a Ludovico Hungaris per annos nonnullos auctor solutum esse scribit, nusquam quod sciam, mentio facta est.

Historiola de Adelberti, comite Babenbergensi, Hattonis, archiepiscopi Moguntini, perfidia interfecto, quam pro vera certaque auctor narravit,[3]) praeclarum exemplum praebet, quales fabellas historiae suae intexuerit. Eandem narrationem Widukindus, Liudprandi aequalis, meliore historiae tradendae sensu imbutus, his verbis absolvit: „Is, ut ferunt, Adelbertus, ab ipso quondam pontifice in fide susceptus, eius est consilio deceptus; quod quia non probamus, numquam affirmamus, sed vulgi rumore magis fictum credimus.“[4]) Hanc fabellam longe lateque divulgatam fuisse, posteri temporis scriptores Ekkehardus et Otto Frisingensis testantur, quorum ille scripsit:[5]) „Qualiter Adalpert fraude eius de urbe Pabinborch detractus, capite sit plexus, quoniam vulgo concinnatur et canitur scribere supersedeo;“ hic vero habet eam inter vulgares traditiones in compitis et curiis auditas.[6]) Ex uberiore quoque Reginonis narratione videmus, Adelbertum, quum a Ludovico rege in Terassa castello obsideretur, simulate ad deditionem venisse, et fraude detecta a. 906 securi percussum esse. Sed Liudprandi narratio annales Alemannicos testes habere videtur, in quibus legimus, Adelbertum ficta fide episcoporum deceptum et decollatum esse.[7])

---

ctum est opus, et via eis nocendi patefacta. Ann. Sang. Pertz. t. I, p. 77. a. 892. Arnulfus — Agarenos ubi reclusi erant dimisit.

1) II, 1—5.

2) Ann. Aug. et Alem. Pertz. t. I, p. 54, 68. Jahrb. l. l.

3) II, 6.

4) I. 22. Pertz. t. V, p. 427.

5) Cas. S. Galli, Pertz. t. II, p. 83.

6) Otto Frising. VI, 15 ed. Urstis. p. 125. Thietmar Pertz. t. V, p. 736.

7) Ann. Alem. Pertz. t. I, p. 611 et l. l. Adelberti exitus in

Haec omnia non minus quam res gestae et ultima fata Conradi regis,[1]) satis ostendunt Liudprandum haud male Germanorum rebus fuisse instructum, sed accuratiore cognitione, rerum scriptori necessaria, caruisse. Ultima verba Conradi, regis moribundi, duxit sine dubio ex eodem fonte, e quo Widukindus et Ekkehardus similem narrationem sibi petierunt, e fama vulgari.[2]) Recte quidem dicit per septem annos regnasse Conradum,[3]) minus accurate autem secundo regni eius anno Arnulfum,[4]) Burchardum, Eberhardum, Giselbertum et Henricum duces a rege defecisse. Inter omnes enim constat, Eberhardum contra fratrem numquam surrexisse, Burchardum non tenuisse ducis dignitatem ante a. 916,[5]) neque Giselbertum, quum Lotharingia tunc esset Gallicae ditionis, a Conrado deficere potuisse. Restat igitur hoc unum, et Widukindi et scriptoris Alemannici aliorumque testimoniis confirmatum, Burchardum, Arnulfum a. 914, 916 et 917, et Henricum, anno secundo regni Conrado arma intulisse.

Haud aliter res ab Henrico gestas absolvit.[6]) In hoc iam lapsus est auctor, quod regnum ab Henrico reiectum, dein vero acceptum esse dicit, in quo, Moguntini archiepiscopi consecratio, ab Henrico refutata, recte sine dubio quibusdam latere videbatur.[7]) Et in gravioribus etiam rebus auctor non semel a Widukindo discessit. In narrando enim bello, quod rex cum Arnulfo, Bavarorum duce, gessit, haesitare possis, utrum scriptorem sequaris, praesertim quum hanc gravissimam rem cum Thietmaro solus tradiderit Liudprandus, Arnulfum ea se subiecisse conditione,

---

multis annalibus notatus est, Sangallensibus, Colon., Corbej., Hildesh. etc. Cfr. Pertz. t. I, p. 77. 98. t. V, p. 4, 52.

1) II, 17—20.

2) Pertz. t. V, p. 247. t. II, p. 103.

3) Jahrb. t. I, p. 36.

4) II, 19.

5) An. Alem. Pertz. t. I, p. 56. Jahrb. t. I, 1 p. 32, 33, 127.

6) II, 21—31.

7) Wid. I, 26. Pertz. t. V, p. 429. Jahrb. l. l. p. 139.

ut episcoporum constituendorum liberam potestatem haberet.[1])

Nusquam vero et temporâ et res diversissimas, paene dixerim, magis permiscuit et confudit auctor, quam in describendis Henrici bellis cum Hungaris.[2]) Sed vel sic utilissima quaedam insunt, quorum vix alius testis exstet. Recte tradidit, Hungaros, Conradi morte audita, in Saxoniam incursionem fecisse, de qua legimus apud Flodoardum et in ann. Corbej.[3]) Eodem tempore Henricum gravissimo morbo affectum, de Hungaris celeberrimam victoriam apud Martisburgum reportasse. At morbo erat implicitus rex a. 924, ut confirmat Flodoardus, Hungarosque eodem anno Germaniam depopulatos esse continuator Reginonis et scriptor Corbeiensis tradunt; gloriosissimum vero illud proelium a. 933 commissum esse, cum Flodoardo probant annales Weingartenses, Quedlinburgenses, Corbeienses.[4]) Et in victoria ipsa narranda discrepant inter se Widukindus et Liudprandus in urbis nomine, ubi Hungari fugati sint, quam hic Martisburgum, ille Riaede fuisse vult; neque minus in proelii exitu, quum hic paucos hostes captos et occisos, ille fugiendi occasione eos privatos esse dicat. Nec dabimus auctori Martisburgum, etsi urbis situs accurate ab eo descriptus est, proelii locum fuisse. Haud iniuste coniicias peregrinum pictura illa facile in talem errorem induci potuisse, quam Martisburgi se vidisse auctor dicit.[5]) Sed vel sic non prorsus desunt maioris in rebus indagandis curae vestigia, quae v. c. inveniuntur in saluberrimo illo consilio, quod de Hungaris recte aggrediendis Henricus rex suis dederit.

---

1) Jahrb. l. l. p. 49.
2) II, 24.
3) Pertz. t. V, p, 368. Jahrb. l. l. p. 41.
4 Pertz. t. I, V. l. l. Pertz. t. I, p. 67. Jahrb. l. l. p. 63, 112.
5) Jahrb. l. l. p. 110.

CAPUT QUINTUM.

DE LIUDPRANDI LIBRORUM INDOLE EX MORIBUS EIUS NATA.

I.

FONTES EX QUIBUS AUCTOR HAUSERIT.

Absoluta commentationis parte, in qua res a Liudprando narratas examinare conatus sum, iam quiescere placet, ut ex altiore quasi loco latissimum, quem permigravi campum, relatis oculis permetiar, resque paulo magis interdum dissonas et a se discrepantes breviter complexus, summam conficiam.

Si quaeris, e quibus tandem fontibus Liudprandus narrationes illas, per tres libros digestas, hauserit, quatuor fontium genera inter se discernenda esse neminem, qui attentius legerit, praeteriisse credo. Primo enim loco ea invenitur rerum cognitio, quam auctor in consiliis capiendis et exsequendis adiutor et minister, in itineribus domique testis oculatus sibi paravit. Sequuntur eorum narrationes, qui, quod Liudprandus literis erat obsignaturus, ipsi viderant; denique rumor popularis et quae in hominum ore fama ferebatur. Quod ad triplex fontium genus, quartum, sed hoc rarius adhibitum, publicarum literarum monumenta accedunt. Haec in Ottonis historia, ut suo loco vidimus, in primi fontium generis auxilium adscita sunt, et in Legatione semel

auctoris epistola invenitur.[1]) Tertio fontium genere in duobus his libellis auctor non usus est, sed eo meliorem eiusdem generis cognoscendi occasionem Antapodosis praebet. In hoc enim maiore opere, quod non composuit, ut de rebus gestis ad principem referret, sed historiae scribendae operam daret, non omnia deleta sunt vestigia, ex quibus colligi possit, unde auctor sua depromserit.

Praedicat de se Liudprandus in totius operis praefatione se ad res scribendas esse excitatum, „sicut is, qui non auditu dubius, sed visione certus“ sit, quam auctoritatem accuratius expressit IV, 1 his verbis: „Hactenus quae digesta sunt, — sicut a gravissimis, qui ea creverant, viris audivi, exposui; caeterum quae narranda sunt, ita ut qui interfuerim explicabo. Ea siquidem tempestate tantus eram, quod regis Hugonis gratiam mihi vocis dulcedine acquirebam.“

Ex quibus verbis etsi apparet Liudprandum iam ab aetate puerili aulae auram duxisse, tamen non tanta iis inest auctoritas, quanta quibusdam videri possit. Quis enim non credat, auctori ab aliis suppeditatum esse, quod in tribus primis libris legimus, ipsius esse, quod in reliquis descripsit? Sed non omnia, quae in ultimis tribus libris proposuit, oculati testis fide munita sunt. Vetat enim Liudprandi vitae ordo, ne Henrici et Ottonis I res gestas a. 936—939 ab eo visas credamus, quas in altero dimidio libri quarti narravit.[2]) Neque aliter statui potest de Byzantinorum rebus, quas in libro quinto[3]) tradidit, quum eo tempore, quo ipse iuventutis annos vixdum ingressus erat, gestae sint. A. 928 enim a patre parvulus relictus, a. 949 primam legationem diaconus administravit, ut ipse profitetur,[4]) itaque vigesimum quintum aetatis annum ex notissima ecclesiae lege tunc impleverit necesse est, quamquam in vitrici ad-

1) c. 14.
2) IV, 44—34.
3) V, 21—25.
4) Leg. c. 55.

huc tutela erat.[1]) Si igitur circa a. 923 auctorem natum esse coniicere velis, fortasse plus minusve decennis, in aulae splendore vivere coepit. Neque tempus, a quo rebus interfuerit, accurate indicavit; ab an. 931 enim duxit libri quarti initium, tertii vero finem in Arnulfi Bavarorum ducis expeditione Italica, i. e. in ann. 935 posuit. Utut est, ex ipsius, pueruli memoria vix, quae cuipiam satisfacerent, depromere potuisset, nisi alios locupletiores testes in auxilium adscivisset. E primo igitur fontium genere unus liber sextus certo originem traxit; quas vero e rebus in quarto et quinto libro narratis, ipse viderit, aut ab aliis audierit, praeter Germanicas et Byzantinas, ad coniiciendum difficilius est.

Haud panca sine dubio poterat e memoria petere, qui in Hugonis aula vixisset, cuiusmodi videntur esse, quae de bellis a rege cum Alberico gestis, de Manassis adventu, de rebus novis, quas contra Hugonem fratrem Boso molitus sit, quae de nuptiis flagitiisque regis et de perfidia, qua Anscarium irretiverit legimus, quae de eiusdem filia a Romano iuniore in matrimonium ducta, et de regni conversione narrantur.[2]) At quis, quaeso, credat auctorem bellis cum Saracenis, Hungaris et Graecis gestis interfuisse, aut Sarlionis et Anscarii proeliis?[3]) In ultimis igitur Hugonis rebus et seditione a Berengario mota, Liudprandus testis oculatus fuisse videtur, reliqua ad secundum aut tertium fontium genus i. e. ad narrationes testium aut vulgarem rumorem referenda sunt. Neque ipse hoc silentio texit, qui quod de Graecorum victoria navali de Russis reportata scripserit,[4]) e vitrici narratione hausta esse his verbis testetur: „Verum quoniam meus vitricus, vir gravitate ornatus, plenus sapientia, regis Hugonis fuerat nuntius, pigrum mihi non hic sit inserere, quid eum de imperatoris sapientia et humanitate, et qualiter Russios vicerit, audivi saepius dicere.“ Et sub finem sequentis capitis legimus Rus-

---

1) Antapod. VI, 3. Walter Kirchenrecht p. 388.
2) IV, 2, 3, 6, 10, 12, 13. V, 3, 10, 13, 14, 20.
3) IV, 4, 5, 8, 9. V, 5—8, 9—16, 19.
4) V, 14.

sos captivos, praesente auctoris vitrico, securi esse percussos. Vitrici narrationibus rerum memoriam accessisse coniici potest, quam Liudprandi pater de sua legatione reliquerat, et quae ipse, Berengarii legatus, Constantinopoli sciscitatus erat. Quod in Romani imperatoris exsulis mentione his verbis significavit, „aiunt enim hunc et sub attestatione confirmant“ etc., et de moribus aulicis se „ex his omnibus eos, qui bene novissent, esse percontatum“ affirmat.[1])

Ex iis, quae in primis tribus Antapodosis libris narravit, nihil ipse vidit Liudprandus, sunt igitur e duobus aliis fontium generibus, aut e testium narrationibus aut fama populari deducenda omnia, et quae ad hanc non revocabimus, ad illas referenda erunt. Rarius enim Liudprandus auctorum narrationum, quas in patria et apud gentes exteras collegit, fecit mentionem, ut I, 6 se scripturum esse dixit, „quod de huius Porphyrogeniti genesi audivimus,“ et I, 31 miraculum quo Formosi corpus a sanctorum statuis salutatum sit, „a religiosissimis Romanae urbis viris persaepe audivi.“ Sed hoc quoque testimonium, quod de se fecit auctor, se exposuisse, quae a gravissimis viris audierit, qui res ipsas spectassent, videtur restringendum, nisi forte multis annis, antequam opus aggressus est, ex oculatorum testium narrationibus scribendi materiam sibi praepararit. Luce enim clarius apparet, a. 956—958 neminem profecto inveniri potuisse, qui de Widonis et Berengarii bellis, septuaginta paene annis ante gestis, spectator narraret. Itaque nemo mirabitur in primis potissimum Antapodosis libris tales interdum narrationes Liudprandum amplexum esse, quae hominum sermone a germana forma sensim mutatae, fabellas redolerent.

Quae e populari rumore derivavit, auctor usitatissimis vocibus: „ut aiunt“ et „fertur“ satis significavit. Non audiendi igitur sunt ii, qui historiolas et aniles fabellas a Liudprando ubique pro veritate venditas esse contendunt; sed non prorsus a superstitione liberari potest, nam tot

---

1) V, 25. VI, 5.

paene locis famam tacitus secutus est, quot dubiam eius fidem indicavit. Sed haec est illius aetatis in rebus scribendis indoles, ut quae vulgo ferantur, et quae revera facta sint, critica neglecta, permisceantur. Et quae est illa fama, qua teste scriptorem usum esse videmus? Suntne illae narrationes, quae haud raro altiorem quendam animum spirantes, magna sui admiratione et sublimitate hominum animos pellant et commoveant? quae e poetica indole natae, omnibus populis insita, historiam illustrent eique lumen afferant? quales haud paucae apud Germanos illo tempore ferri solebant, et nonnullae apud Widukindum et Ekkehardum leguntur? Si quis Liudprandi fabellis talem indolem affingere velit, is profecto a veritate aberret. Longe alia sunt illae natura, non concinnantur aut canuntur, sunt triti et quotidiani hominum sermones, exaggerandi studio et dicacitate, invidia interdum et obtrectatione natae.

Et profitetur auctor V, 32, se auctoritatem e triviis arreptam non repudiasse, quo loco de Willae iunioris adulterio sic scripsit: „Quod ita accidisse non solum aulici vel cubicularii, verum aucupes et cupedinarii clamant.“ Idem indicavit III, 46, ubi haec legimus verba: „Aiunt quidam Bertham, Hugonis matrem, Adelberto marchioni, viro suo, nullum filium peperisse, sed ab aliis mulieribus clam acceptos, simulato partu Widonem et Lambertum sibi supposuisse; — hoc autem mendacium mihi ideo videtur fuisse inventum“ etc. Eandem rem II, 56 verbis: „ut rumor est“ significavit; quales igitur aut de quibus rebus illi rumores fuerint, neminem latebit. Neque iam removeri potest suspicio, auctorem, ut viderit hoc loco, sic alias non vidisse, haud paucas ex suis fabellis inanes esse sermones aut aperta mendacia.

Sed quae sint fabellarum vestigia in rebus Italicis, videamus. Satis derisa est historiola de Widonis viliori cibo, ob quem Francorum rex non creatus esse „fertur“ I, 6; nisi forte eam contemtu, quo Franci haberent Italos, natam esse dicas, ut Italorum odii contra patriae oppressorem fetus est narratio de Arnulfo imperatore, a muliere Italica

venenato, deque morte eius turpissima.[1]) Quis hic non agnoscat credulam plebeculam, quae libentissime de regibus confabulari eosque sermonibus carpere solet? Cui non erat satis, Lambertum imperatorem ex equo lapsum, collum fregisse, sed eum sic occisum sibi fingebat, ut revera ab equo decidisse putari posset.[2]) Neque contenti erant homines Ioannem papam in vincula coniectum sua morte obiisse, cervicali ori eius imposito eum suffocatum esse „aiebant.“[3])

In aliis libri locis eandem originem popularem, ab auctore sive non cognitam, sive accuratius non significatam, certis vestigiis invenisse mihi videor. Hoc praecipue e Flodoardo elucet, qui res a Liudprando pro certis traditas verbis „ut fertur“ notavit; sic insidias Hugoni regi a Bosone fratre structas, et mortem Lothario veneno allatam.[4]) Eidem populi memoriae, qua in singulis rebus fingendis aut exornandis nulla est uberior, debere videtur auctor narratiunculam de Bavaro milite glorioso e Centebaldi exercitu, cuius inanem audaciam Hubaldus, fortiter Italorum gloriae consulens, fregit. Quo alio praesidio munitus singulas narrationis partes tali modo consectari poterat, ut hoc vigesimo primo die post Centebaldi adventum factum esse sciret,[5]) vel Berengarium, Italia Arnulfi potestati subiecta, regis clipeum, fidei quasi pignus portasse, quod fidei signum a populo sensu proprio acceptum esse, ut saepius fieri solet, haud falso opineris.[6]) Hoc in memoriam vocat similem neque minus mirabilem locum, Berengarium, perfido Arnulfi consilio comperto, ex quo ipse caecandus esset, lucerna, quam coram rege tenere soleret, alii tradita, aufugisse.[7]) Indidem duxit auctor fabellam de lepore Ar-

---

1) I, 32, 36.

2) I, 42.

3) III, 43.

4) Cfr. supra p. 47, 52.

5) I, 21.

6) I, 22. Cfr. quae obscurius dixit auctor Fuldens. de signis Arnulfi potestatis, a Berengario agnitae. Pertz. t. I, p. 406.

7) I, 34.

nulfi duce in Roma expugnanda, et de trabe, qua quinquaginta pedes longa, urbis expugnatores usi sint.[1]) Neque scio, an ex eodem fonte narrationem de Anscarii, Eporegiae marchionis, versutia, qua delusit Arnulfum, derivem, et quae leguntur sub finem libri secundi, Bonifacium marchionem in Berengarii et Rudolfi aemulorum proelio, hostibus non pepercisse, Gariardum vero comitem, eos hasta tantum non ferro percussisse, nec non quae de Rudolfi regis ad Ermengardam nocturna fuga auctor tradidit.[2]) Sordidioris originis aliae sunt fabellae, ut rudior historiola, qua bene quidem describitur aetatis illius indoles, de Theobaldo marchione, qui Graecos captivos evirari iussit, de Hugone rege Roma eiecto, ob colaphum Alberico privigno ductum, et de foeda turpique avaritia Willae.[3]) Alias debet auctor superstitioni populari, sic Formosum a sanctorum statuis salutatum, lapidem Berengarii sanguine aspersum numquam delendo, et sanguinis fontem, qui Genuae atrocissimam Poenorum depopulationem civiumque cladem malo omine portenderit.[4])

Quod in Germanicis quoque rebus Liudprandus e vulgari rumore ea hauserit, quae ab initio saeculi decimi gesta essent, ut Adelberti Babenbergensis exitum, non est mirandum, magis vero quod iam clariora Ottonis, regis sibi aequalis, facta per famae integumenta perspexerit.

Iam supra dixi, unde petita esse coniiciam verba Eberhardi ducis, in sinu uxoris magnificentius de se praedicantis. Neque aliunde videtur inveeta summa illa vis praecationum Ottonis hastaeque sanctae in Henrico fratre vincendo, aut narratio de Giselberti et Eberhardi ducum morte, quam in populi ore fuisse, docent verba Ekkehardi Sangallensis de Conrado comite, illorum victore, „multa sunt, quae de illo concinnantur et canuntur,“ et paene omnium, qui eam literis mandarunt, dissensio. Idemque placet de

---

1) I, 27.
2) I, 35. II, 66.
3) IV, 8. III, 44. IV, 11.
4) I, 31. II, 72. IV, 5.

nuntio victoriae Ottoni regi lato, quam narrationem cum vividioris coloris pictura non iniuste comparaveris.[1])

Rariora sunt rumoris vulgaris vestigia in Graecorum rebus. Narrationi de Simeone, Bulgarorum principe, filiique eius Baiani arte magica, accedit visum Basilio imperatori per somnum obiectum, et historiolae illae de Leone imperatore, quas „risu dignas“ iusto uberius narravit.[2])

Sed alii inveniuntur loci, qui, etsi suspicionis signo ab auctore notatae, ad popularem originem vix referri possint. Scripsit auctor Michaelem, imperatorem Byzantinum, mente captum, amicos interfici iussisse, „ut fertur,“ quem in amicos revera sic furere solitum esse, Graeci scriptores testantur. Neque vocem „aiunt“ III, 14 popularem originem habere credo, ubi legitur, Burchardum ducem, quum invasisset Italiam, S. Laurentii ecclesiam non orationis, sed munitionis exstruendae causa petiisse.

Uno denique loco, ne hoc silentio praetermittam, e carmine populari hausit Liudprandus, nisi forte proverbium in vulgi ore latum indicare voluit his verbis de Adelberto, Eporegiae marchione, usus: „Tam dirae autem postmodum factus est famae, ut huiusmodi vera de eo tam a maioribus quam a pueris cantio diceretur, — longo eum uti ense et minima fide.“[3])

Locorum iam comparatione instituta, in quibus e vivo populi sermonum fonte Liudprandus se hausisse aut profitetur aut tectius indicat, non dubitabis, quin in nulla libri parte saepius aut libentius, quam in rebus Italicis, vulgares fabellas amplexus sit. Neque hoc mirandum.

Ut enim in describendis domesticis rebus auctor optimis praesidiis instructus fuisse censendus est, sic in ipsa rerum narrandarum copia latet scopulus ille, vitari difficilis, nisi critica accuratior in auxilium vocatur. In hoc ipso scopulo, si quaeris, naufragium fecit Liudprandus, qui in Antapodosi vera ficta, certa incerta, quae ipse vide-

---

1) IV, 22, 23, 24, 28, 29.
2) III, 29. I, 10, 11, 12.
3) I, 9. II, 34.

rat, et quae ex inanibus sermonibus duxerat, haud raro temere permiscuit et quasi sacco fudit. Quod eo facilius fieri potuit, quum patriae moribus et lingua cum lacte quasi suctis, vilissimam quamque famam audiret et arriperet, omnesque fabellas, iudicii freno non semper adhibito, cogitatione sibi depingere perque singulas partes consectari posset. Sed non desunt quidam loci, ubi, quid in critica exercenda valeret auctor experiri voluit, eamque in fabellas adsciscere conatus est. Quod consilium felicius cessit III, 46, ut supra vidimus, ubi mendacium de Berthae liberis refutavit, et I, 7, quo falsum de Constantini Porphyrogeniti famam emendavit. E tertio autem loco elucet, quam facilis ad credenda quaeque prodigiosa auctoris animus fuerit. Fidem enim negavit simplici de Lamberti morte narrationi I, 42 et falsam fictamque, portentosam vero his verbis praetulit: „Verum assertioni huic fidem praebere non absurdum esse non dico. Est enim alia mortis huius, quae mihi verisimilior videtur atque omnibus a populis narratur, assertio.“

In contrariam sententiam res Byzantinae discedere iubent. Quum linguae Graecae haud commodum usum haberet, in paucorum hominum quasi circulum Constantinopoli compulsus, insulsa quaeque aut inepta audire non poterat. Ideo fallaci rerum fama aut imaginibus ante conceptis non caecatus, quae ab auctoribus suis acceperat, neque mutare, neque suo more exornare poterat. In hac igitur parte plurima et recte et accurate sunt absoluta, fabellae sunt paucissimae, et leviores quos deprehendimus errores iis deberi videntur, qui virum occidentalem rebus Byzantinis instruxerant. Itaque haud scio an hanc libri partem emendatissimam optimeque conscriptam esse dicam.

Inter utramque libri partem, Italicam et Byzantinam, indole plane diversas, medium tenuit Liudprandus in rebus Germanicis. Hic enim eo facilius fabellas, quas illo tempore in ore ferebat vulgus, auctorem concipere potuisse apparet, quo probius eum linguam Germanicam novisse scimus. Quumque remotiores Germaniae regiones obierit, regem, ut videtur, ad singula palatia, e. g. Francofurtum

Martisburgum comitatus, quidni quod rumor popularis obtulerit, si ab operis consilio non alienum esset, in librum suum redegerit? Inde haud pauci errorum illorum nati esse videntur, quibus res diversissimae confunduntur, vix condonandi viro in aulae splendore degenti, qui optimos rerum scribendarum auctores invenire poterat. Itaque si in rebus Italicis Liudprandi libro nimis magna uberiorque copia, ab omni critica destituta, in rebus Germanicis levior eruditio erat fraudi, in scribendis Byzantinorum rebus, mirabile est dictu, ipsa inscitia, fontiumque tenuitas a gravioribus erroribus eum munivisse videtur.

Sed iam videamus, quomodo auctor omnibus hisce elementis in libro suo componendo usus sit.

II.
MORES ET FIDES AUCTORIS.

Iniuriam profecto faceremus Liudprando, si quae congesserat, eum digerere ne conatum quidem esse, dicere vellemus. Non enim ubique inconsulto aut sine ordine egit, neque sublimiori consilio caret liber. Quale vero hoc fuerit, qualesve illae cogitationes, quibus historiam suam constituerit, accuratius nunc considerandum est.

Si quis in examinandis illius aetatis scriptoribus, qui in historia componenda minus rerum gestarum conditioni, quam animi sensui suisque opinionibus obtemperarent, artem, qua libri conscripti sint, ab auctorum indole seiungere vellet, ut in splendidissimis veterum monumentis, is profecto corporis et animi discidium induceret. Non est enim in illis scriptoribus ars quaedam historica, est potius cuique auctori artis loco sua indoles, et natura auctoris est libri ab eo conscripti summa lex et norma, cui vel leviora vel graviora virtutum et vitiorum vestigia, paene dixerim, in-

scius impressit. Quae omnia si de alio, de Liudprando sunt statuenda; sunt ei mores et indoles scribendi quasi fundamenta, ita ut e libro mores auctoris, e moribus libri indolem cognoscere possis.

Quam enim viam in rebus scribendis initurus sit, Liudprandus titulo libri Antapodosis significavit; et ne cui dubium relinqueret, sub initium libri tertii suum consilium uberius exposuit. Quae graviora verba, quum caput quasi sint et fons, e quo liber manarit, apponenda videntur: „Operis huius titulum, pater sanctissime, satis te mirari non ambigo. Ais forte, quum virorum illustrium actus exhibeat, cur antapodosis ei inseritur titulus? Ad quod respondeo: Intentio huius operis ad hoc respicit, ut Berengarii huius, qui nunc in Italia non regnat sed tyrannizat, atque uxoris eius Willae, quae ob immensitatem tyrannidis secunda Jezabel et ob rapinarum insatietatem Lamia proprio appellatur vocabulo, actus designet, ostendat, clamitet. Tanta enim mendaciorum iacula, tanta rapinarum dispendia, tanta impietatis molimina in me et domum meam, cognationem et familiam gratis exercuere, quanta nec lingua proferre, nec calamus praevalet scribere. Sit igitur iis praesens pagina antapodosis, hoc est retributio, dum pro calamitatibus meis — impietatem eorum, praesentibus futurisque mortalibus denudavero. Nec minus etiam sanctissimis et fortunatis viris pro collatis in me beneficiis antapodosis erit.“

Eundem, i. e. irae explendae, cupidissimum se praebuit auctor in Leg. c. 58; aliis enim armis sibi non relictis, iterum ad iactanda convicia confugit; et ne bile, qua tumebat, dirumperetur, eam in versibus illis effudit, quos sic praefatus est: „Et quum non haberem, quod pro malefactis Nicephoro tunc redderem, hos in pariete invisae domus meae et in mensa lignea versiculos scripsi.“

Liberiore profecto confessione non facile auctor, qui sit scribendi finis, quod libri sui principium, exponere potest. Animi ardorem, iram, summum vindictae studium, scribendi sibi fuisse incitamentum, omnibus missis ambagibus, aperte confitetur Liudprandus. Et integras sane iustasque poenas a vexatoribus suis repetivit. Crudelitati

enim, saevitiae omnisque paene infamiae notam Berengarii Willaeque nominibus inussit, eaque turpitudinis quasi signa posteritati detestanda tradidit. At vero magno, ni fallor, pretio se ultione explevit: nam hac ipsa ultione Liudprandi auctoritas vehementer concussa et labefactata est. Num miramur eum graviores suspiciones sustinuisse, qui a primaria scriptoris virtute, animo ira studioque vacuo, tam remotus esset, ut rebus scribendis ultionem exigere aut beneficiorum acceptorum gratiam referre vellet? Quis non credat, veritatem non dico de industria fucatam, at inimicos turpiores, amicos sanctiores et beatiores, quam fuerint, ab auctore, qui tanta cupiditate caecatus esset, esse depictos?

Vera haec omnia, et ut Liudprandi libros quam cautissime legas, admonent, sed ne penitus eadat eorum fides, aliae quaedam res, ut Martinio quoque videbatur, vetant. Auctor ipse Philippicam illam in Berengarium arctioribus quasi cancellis circumscripsit, quae ut ultra iustum modum Liudprandi iram et odium augeamus, non permittunt. Ipsas enim contumelias et vexationes, quibus insigne et inexpiabile auctoris odium Berengarius suscepit, quasque libri sui quasi principium posteris se traditurum esse gaudebat, singulari, et haud scio an iustiore quam ipse fuerit, fato vetitus, posteris non tradidit. Quae vero de inimico literis mandavit, exceptis iis, quae in libro quinto leguntur, aliis testimoniis confirmantur, aut a veritate non abhorrere videntur, aut denique vehementiores rabidaeque sunt orationes, quibus, rebus gestis omissis, bilem effundere solet. His vero locis quae ad manus essent armis, conviciis et ludibrio, cavillatione et dicacitate, ironia et dissimulantia uti non dubitavit. Sic in transitu Berengarium eiusque uxorem paucis verbis perstrinxit II, 33. IV, 7, 10. V, 12. VI, 3, 6; acriusque erupit ira V, 27, quo inimicissimum virum oratione e Ciceronis paradoxis petita aggressus est; V, 30, ubi cum vorace struthione eum comparat, qui alis erectis, omnes ita irriserit, ut „suspiriis tantum et gemitibus“ de eo narrari possit, et V, 32, quo adulterium a Willa cum presbytero quodam commissum, retulit. Novam irae vehementius evomendae occasionem nactus

V, 11 in avium montem invehitur, quod Berengario fugienti transitum praebuerit, pestemque illam servaverit, quam perdere potius debebat. Quin eo usque V, 10 proripitur, ut se nolle Lothario puero irasci ingenue profiteatur, qui quum Berengarii caecandi consilium prodiderit, „necessariarum sibi rerum adhuc ignarus, pueritiae levitate peccaverit."

Tanto furore nullus profecto illius aetatis scriptor in Berengarium debacchatus est, sed hoc quoque verum, vix unus, qui mentionem eius fecit, tyrannide pravisque eius moribus supersedere potuit. Et si demus aliquid Ottonis, quo illi ducti fuerint, studio, vix tamen dubitari posse videtur, quin fuerit homo ferus et avarus, qui, ut Widukindus habet, omnem iustitiam pecunia vendiderit.[1]) Consentiunt anonymi cuiusdam verba, eodem fere tempore viventis: „In tantum ipse Berengarius avaritiae exarsit aestu, ut pecunia captus ius fasque quaque confundens, aliquantum etiam de terminis beati Petri praedatoria vi sibi arripere praesumsisset."[2]) Accedunt continuator Reginonis, qui eum comites et episcopos sibi inimicissimos vexationibus fecisse indicat, anonymus Salernitanus, et his verbis Arnulfus Mediolanensis: „Oderant autem compatriotae regem Berengarium propter nimiam uxoris tenaciam, quae Willa dicebatur, et suam ex parte saevitiam."[3]) Tectius rem significavit Atto, episcopus Vercellensis, in epistola ad episcopos, cuius verba adiicienda videntur: „Quin aut illi (reges) sua saevitia adeo exosi videntur, ut ad popularem iam non possint redire amorem, aut nos adeo perfidi suspicamur, ut nullum in nobis fidei robur consistat, aut utraque. — Tribuat deus illos nobis tranquillos, nosque eis faciat esse devotos."[4]) Quae omnia Liudprandum, non dico a summi studii iraeque accusatione, ab hac saltem graviore crimi-

---

1) III, 7. Pertz. t. V, p. 452.

2) Transl. S. Epiphan. Leibn. script. t. I, p. 257. Jahrb. t. I, 3 p. 75.

3) Cont. Reg. 952, 956, 960. Anon. Salern. c. 169. Pertz t. V, p. 553. Murat. script. t. IV.

4) Ep. 11. Dachery t. I, p. 441.

natione liberare videntur, eum mendaci consilio falsa fictaque pro veris venditasse.

Quo melius vero pateat, qui fuerit Liudprandi animus, in ardentissimo Berengarii odio subsistere non possumus. Auctorem audivimus dicentem, praeter unum illum esse nullum, cui non beneficia debeat; sunt vero, ni fallor, nonnulli alii, in quorum mentione solita illa iracundia vix minus vehementer prorumpit. Num aliter statui potest de ferocissima sententia, quam de Gezone tulit, viro infelici, quem coniurationis participem, lumine et lingua Hugo rex privari jussit? Quod immanissimum supplicium his verbis laudavit:[1]) „O factum bene, si sicut caecus, ita et mutus cunctis exstitisset temporibus! Sed o scelus, quoniam lingua abscisa loquelam non perdidit, secundum Graecorum fabulas, oculorum privatione vitam sibi protelavit, quae multis ad perniciem usque in praesentem diem esse non desiit.“ Quae verba, nescio quomodo, obscura aut inepta esse nemo non videt. Vix quoque removeas suspicionem, auctorem in miserum illum presbyterum, Willae adulterum, odio quodam male tecto abreptum esse, quem atroci eius malo, paene dixerim, gavisus, presbyteruli nomine punxit, hisque conviciis, acute sane excogitatis, oneravit: „rusticum, setigerum, indocilem, agrestem, barbarum, durum, villosum, cauditum, petulcum, insanum, rebellem, iniquum.“

Mirabiliora exempla eiusdem temeritatis sollertiaeque in maledictis inveniendis praebet Legatio. Non enim pudet auctorem, exacerbatum suique paene non compotem, ob multa mala, quibus paene enecatus sit, indignissimorum et turpissimorum conviciorum, quae non semel sed sexcenties in Nicephorum imperatorem congessit; quae omnia hic apposita eo maiorem nauseam moverent, quo plura exempla legenti vel sponte se offerunt. Loci insigniores quod dixi satis confirmabunt. His v. c. contumeliis alloquitur imperatorem: „Carbo exstincte veni, μέλλε, anus incessu, Sylvanus vultu, rustice, lustrivage, capripes, cornute, bimembris, setiger, indocilis, agrestis, barbare, dure, villose, rebel-

1) III, 41.

lis, Cappadox!"[1]) Neque minus vehemens conviciorum torrens, ripa, ut videtur, non cohibendus, prorumpit duobus aliis locis: „Illum (Nicephorum) et phosforum clamabant. Impotentem virilem, stultum sapientem, brevem magnum, nigrum album, peccatorem sanctum dicere, mihi credite, non laus, sed contumelia est." Et: „Graecorum rex crinitus, tunicatus, manicatus, teristratus, mendax, dolosus, immisericors, vulpinus, superbus, falso humilis, parcus, cupidus, allio, cepe et porris vescens, balnea bibens."[2]) Paulo post: Ottones „exterminabunt onagrum, id est sylvestrem asinum Nicephorum, qui non incongrue sylvestri asino comparatur ob vanam et inanem gloriam incestumque dominae et commatris suae coniugium."[3]) Summum vindictae studium et acerbitatis virus, quo loco non modo quantum fuerit viri odium, sed etiam aetatis indolem facile cognosces, in hac ardentissima imprecatione evomuit: „Sed, o Jesu bone, Deus aeterne, verbum Patris, qui nobis indignis loqueris, non voce, sed inspiratione etc., iube, ut leo et catulus isti hunc exterminent et humilient onagrum corpore, quatenus in se reversus, dominisque suis Basilio et Constantino imperatoribus subditus, in die Domini spiritus sit salvus."

Haud aliter Graecos modo acerba cavillatione perstringit, modo convicia, quae in buccam venerint, in eos congerit, maledicendi ansam nactus in diversissimis rebus. Commovetur enim auctoris bilis nunc patriciorum detritis vestibus et plebeiorum nudis pedibus, nunc nauseam faciunt sordidae maleque olentes epulae, nunc respuit Graecorum serviles salutationes, nunc in eorum ignaviam invehitur, taliaque iactat verba, quae inanem Graeculorum magniloquentiam facile exaequent, et militem gloriosum melius quam episcopum deceant.[4]) Quorum locorum ultimum apponam: „Sicut enim vos non terrerem, si fortissimos illos et Alexandro M. similes praedicarem, sic et vos non instigo, cum

1) Legat. c. 10.
2) Ibid. c. 28, 40.
3) Ibid. c. 41.
4) Ibid. c. 9, 11, 32, 28, 44, 29.

impotentiam eorum, quae vera est, narro. Mihi credatis velim, et credetis scio, omnem ipsum exercitum quadringentis vestris, si fossa murive non impediant, posse occidere" etc. His locis lectis, quibus vix acerbius quidquam inveniri aut fingi potest, neminem facile latebit, firmam et moderatam animi dominationem in Liudprando penitus desiderari.

Sed qualem auctor se erga amicos praebuerit, quos pro acceptis beneficiis eodem libro Antapodosis se remuneraturum esse profitetur, iam videamus. Cui erat maior gratia referenda, quam in cuius tutela et fide librum scripsit, Ottoni regi? Et solvit profecto auctor quod patrono debebat, sed tali modo solvit, ut veras iustasque laudes cum nimis elatis et magnificentioribus mirum in modum mixtas invenias. Sunt loci, in quibus sanam sinceramque admirationem ab adulatione vix dignoscere possis; neque mirandum, qui tali odii ardore, quo Liudprandus, flagrarit, studii quoque iustos terminos transiisse. Non sane vitupero, quas plena manu tollit, Ottonis laudes; magnum enim regem et Germanicarum rerum servatorem ab aliis quoque eiusdem aetatis scriptoribus vere recteque celebratum vidimus. Habeat Liudprandus „antiquum suum miraculum renovatum" in Ottonis victoria sanctae hastae praesidio reportata; haec est illius temporis religio.[1]) At veram sine dubio admirationem egressus est in his verbis: „Sic itaque, sic, rex piissime, insperata ob militum paucitatem victoria divinae consilium providentiae fuit, volens mortalibus indicare, quam carus Deo esset, qui orando tam immensum cum paucissimis triumphum obtinere promeruerit." Et paulo post: „Bone itaque rex, non ob tuam hoc, sed ob infirmorum actum est fidem, qui victoriam non nisi in multitudine putant consistere. — Et haec ratio est, quod (Deus) — te quantum diligeret, nescientibus indicaret." Quid tandem dicemus si in Legatione legimus,[2]) auctorem magnis Ottonum meritis, quae S. Andreae enumeraverit, turbulenti ma-

1) IV, 14, 23, 25, 27.
2) c. 61.

ris faucibus ereptum et aestuantes undas sedatas esse? Neque in tali miraculo abs re esse putavit, quin sancte affirmaret: „Non est — verum dico, non est adulatio haec, nec consuo nunc pulvillos sub cubito manus; res, inquam, vera est.“ Non credo hoc merum esse mendacium, sed ut inimico omnia vitio, sic amico omnia laudi dat auctor, et ex omnibus aeque sibi odium aut admirationem ducit.

Praeter Ottonem regem Liudprandus Hugoni quoque, e consilio libri sui, pro beneficiis gratiam rependere debebat, quae se, patrem suum et vitricum ab illo accepisse narrat. In hoc vero solitae temeritatis poenas solvit auctor, quum etiam ea temere scripsisse putetur, quae satis recte expediit. Accusatur enim a Muratorio, quod Hugonem regem, tyrannum Tiberio similem, virum sanctum fuisse posteritati persuadere voluerit. Quam sententiam a viro magno inique latam esse et ipsa docent Liudprandi verba, et a Martinio aliisque observatum est.[1]) Semel, verum est, Hugonem virum sanctum appellavit, sed severe castigat regis incestum, quod turpissimo mendacio, quo ne propriae matri quidem parceret, tegere voluerit; et quantis flagitiis quantaque libidine idem se contaminarit libere profitetur, eumque poenas a Deo immissas ob tanta scelera suscepisse vehementius praedicat.[2])

Sed non odium solum aut fervida iracundia Liudprandum ad scribendum impulit, neque gratus erga amicos animus, alterum enim libro suo finem proposuit, quem haud obscure his verbis in praefatione significavit: „Mens academicorum, peripateticorum stoicorumque doctrinarum iugi meditatione infirmatur, si non aut utili comoediarum risu aut heroum delectabili historia refocillatur.“ In quibus „comoediis“ ad animum relaxandum utilissimis, aliud, ni fallor, latet cupiditatis genus, quod haud levis est momenti in Liudprandi moribus; est titillatio quaedam et sordidior voluptas, quam cepit e lascivis et obscoenis narrandis historiolis. Itaque vereor, ne de Antapodosi iustior sit

1) Ann. It. t. V. p. 391. not. a.
2) III, 44, 45, 46, 49. IV, 11, 13.

Muratorii censura, auctorem aliorum turpitudinem animi causa in lucem protraxisse. Quis enim non videat spurciores historiolas ab eo non sine studio quodam vividiore colore depictas, aut fictis sermonibus versibusve exornatas esse?[1]) Nihil dicam de prima ex hisce fabellis ab ipso auctore „ludibrium“ nominata, qua uxorem quandam pro marito metuentem descripsit, aut de balteo Willae maioris, deque minoris adulterio, quid vero statuamus de rerum scriptore, et ecclesiae hoc ministro, quem tam turpes annotationes, ut de Giselberto, comite semianimi, et de presbytero moecho, posteris tradere non puduerit, quarum nulla alia causa nisi iocus obscoenus inveniri potest?

Parem obscoenitatem aliis quibusdam locis deprehendimus, qui Liudprandum in pravissimam malignitatis et calumniae vituperationem adduxerunt. Inter quos sunt habenda, quae de Ioanne Ravennate scripsit, de Bertha, Adelberti marchionis vidua, quam sexagenariam paene fuisse illo tempore matronam, recte monuit Muratorius, eam „calliditate, muneribus, hymenaei exercitio dulcis nonnullos sibi fideles effecisse,“ ita ut, quum ipsa Mantuae capta esset, nullum ex eius castellis Berengario traditum sit.[2]) Neque aliter placuit auctori de eiusdem Berthae filia, Ermengarda, propter cuius turpem consuetudinem, ab ea aut negatam aut concessam, Italos in duas partes, quae sibi arma intulerint, dicit discessisse.[3]) Haud leve, ni fallor, testimonium de se ipso suoque animo, quum has res calamo reciperet, Liudprandus fecit. Non sane illas mulieres ab inhonestioris vitae criminationibus aut ab infamia, qua flagrant, vindicare volo, quod vetant testimonia, quam pauca sint, supra allata. Neque quae legimus ab illius aetatis indole aut ab effrenata mulierum licentia prorsus abhorrent, ut nobilium adulterarum docent exempla, et impudica Ger-

---

1) II, 63. IV, 9, 11. V, 32.

2) II, 48, 55. Similia Procopius in historia arcana de Antonina, Belisarii uxore sexagenaria, narravit.

3) III, 7, 8.

manicarum quoque mulierum vita, a Thietmaro descripta.[1]) Num ideo dabimus auctori omnia, quae narravit,[2]) aut credimus Ioannem X nulla alia causa papam esse creatum, quam ut Theodorae turpi libidini satisfaceret, aut Bertham sua potius consuetudine quam calliditate muneribusve sibi amicos parasse? Nemo, credo, qui Liudprandi credulitatem et lasciviam cognoverit, dubitabit, quin rebus, sive veris sive e triviis arreptis, exaggerandi quodam studio ductus, causas haud raro attulerit, quae ex ipsius lascivioro cogitatione petitae aut mera coniectura exortae essent.

Ut vero animi auctoris imaginem accurate depingam, unum non praetermittam, quod non minus insitum est moribus eius, religionis pietatisque dico studium, cuius vestigia in Antapodosi frequentissima inveniuntur. Quo castior sanctiorque haec est scribendi ratio, eo magis tam mira sententiarum distantia offenderis; at est ita, virtutes vitiaque, quae quam maxime sibi repugnarent, auctor aeque animo complexus est. Nemo enim facile negabit haud parvam hanc esse Liudprandi virtutem, ut illam rerum gestarum molem ad notionem quandam religiosam revocare voluerit. Sublimiori enim cogitationi, e christiana religione petitae, librum suum superstruere conatus est; deum omnipotentem, historia iustum iudicium exercentem, aut poenam peccati aut praemium virtutis persolvere, quod his verbis in praefatione libri expressit: „Quod si priscorum ritus exsecrabilis paganorum — tomis memorandus inscribitur, quid istorum imperatorum bella — silebitur? quum praesertim in his sit domini nostri Iesu Christi, dum sancte vixerint, bonitas recitanda, tum si quid deliquerint, salubris ab eodem correctio memoranda? Nec moveat quempiam, si enervorum facta regum principumve effeminatorum huic libellulo

1) IV, 11. Pertz. t. V, p. 786: Haec (Christiana) bona quaeque conscientiae tegens secreto suae, fuit ceteris matronibus, quae apud modernos sunt, longe dissimilis, quarum magna pars membratim iniuste circumcincta, quod venale habet in se cunctis amatoribus ostendit aperte. Locus a Martinio laudatus.

2) Eandem fere sententiam Hoeflerus in libro Geschichte d. deutschen Päpste t. I, p. 17 a. 32 tuitus est.

inseruero. Una est enim iusta dei omnipotentis, Patris scilicet Filii et Spiritus sancti virtus, quae hos iuste suis pro sceleribus comprimit, illos dignis pro meritis extollit."

Insigne dein divinae castigationis exemplum in rebus gestis Arnulfi cernit auctor, quem sibi talem virum depinxit, qui animi atrocitate superbius virtuti suae cuncta tribueret, non debitum omnipotenti deo honorem redderet." Huc accedit aliud neque levius crimen, quod Hungarorum gentem arcessiverit. Pro duplici ideo peccato duplicem quoque eum dedisse poenam a Deo constitutam, quum animi vigor Ageltrudae veneno obtunderetur, ipseque turpissima morte exspiraret.[1]) Sed neque divinae poenae ministra Ageltruda, suorum peccatorum poenam, „viduitatis dolorem" effugit.[2]) Italos porro iusta poena affecturus, in eos immittit deus Hungaros, a quibus „promerentibus peccatis exusta est Pavia."[3]) Neque alii consilio Saraceni serviunt, qui Fraxineti expugnatione, invidiae et crudelitatis poenam a Provinciae incolis sumunt, ab Italis vero ut terroribus eos castigarent, qui beneficiis invitari noluissent.[4]) Alia divinarum animadversionum exempla in Romani imperatoris deiectione, et in Hugonis regis vita invenies.[5])

Sed gratiae quoque divinae et misericordiae signa in rebus humanis Liudprando apparent; sic in Pavia ab Hungaris non penitus diruta, in victoria de iisdem ab Ottone, de Russis a Romano imperatore reportata;[6]) et multis aliis locis eundem animum integrum adque res divinas applicatum probavit. Quis non credat Liudprandum rerum fluxarum et humilium contemtorem, sancto pectore omnia ad unum deum retulisse, qui legerit in Romano imperatore, qui perfida calliditate imperium adeptus esset, non esse mirandam huius prudentiam, „sed laudes referendas deo

---

1) I, 13, 33, 36,
2) I, 37.
3) III, 4.
4) I, 3, 4.
5) III, 37.
6) III, 4, 5.

cordis ex intimo, qui erigat elisos, solvat compeditos" etc.[1]) Neque aliter idem Arnulfi Bavarorum ducis amicos fecit loquentes Henrici regis electionem, a trinitate summa, quae deus unus est, ante mundi constitutionem fuisse decretam;[2]) et eodem modo ad unum fontem et auctorem, deum, res humanas revocavit II, 46. III, 16. etc. Quin immo theologicas commentatiunculas libro inseruit, quibus uberius quam optares, modo de divina misericordia, modo in canonum, modo in miraculorum contemtores, dicendi copiam effudit.[3])

Crescit igitur ei duplici fundamento duplex libri natura, minime sibi constans, qua auctor nunc pia in rebus divinis fide animum trahit, nunc nugis quibusdam insulsis offendit, nunc severum vitiorum censorem agit, nunc e sublimiorum sententiarum altitudine ad lutum turpiter recidens, sordidissimas historiolas narrat.

Ex his auctoris de se ipso testimoniis, satis manifeste, opinor, apparet in magna ingenii ubertate luxuriem et intemperantiam quandam, morum eius quasi fontem et originem esse. Quo modo, ni fallor, factum est, ut virtutes, quibus erat ornatus, in vitia mutarentur. Liberior enim animus in immodestiam, iustitiae studium in capitale odium ultionisque cupiditatem, admiratio in adulationem, fides in credulitatem, alacritas in petulantiam pervertitur; nimius est auctor in omnibus, et iustos terminos in omnibus excedit. Tali intemperantiae neque antiquitatis, quam prae se fert, admiratio, neque ipsa honestas frenum iniecit. Est Liudprandus sui temporis imago, quo summa erga deum pietas miraque fides non minorem in rudiores hominum animos dominationem exercebant, quam ferox animi ardor et effrenata libido.

Negari non potest sanam quoque auctoris mentem e tanta luxurie interdum emergere; quid promptum eius et felix ingenium valeat in rebus scribendis, si cupiditatem et linguam contineat, herbasque inutiles recidat, historia Otto-

---

1) III, 35.
2) II, 23.
3) III, 4—6. IV, 6, 25.

nis et quaedam Antapodosis partes probe demonstrant. In universum vero suscepto rerum scriptoris muneri non bene satisfecit. Universalem historiam conscribere conatus est, qua dei, sapientissimi moderatoris, providentiam in rebus humanis cerni posse exponeret; quam turpiter vero a tali proposito lapsus sit, vidimus. Non sane historiam universalem, sed, ut ita dicam, memorabilia composuit, quae recentiorum Francogallorum libellos memoriales et historias arcanas in mentem revocant. Eadem est horum librorum et Antapodosis indoles et natura; eadem est recentiorum illorum et Liudprandi vanus amor sui, quo ad se, tanquam ad principes, omnia referant; eadem loquacitas, qua de se suisque rebus verba faciant; et apud utrosque lascivi lusus et spurcae historiolae inveniuntur. Inter antiquiores vero scriptores unum tantum habeo, quem cum Liudprando comparem, Procopium. Est quidem in hoc, ut in Graeco, qui dimidium fere saeculum post eversum imperium Romanum viveret, maior eruditio, ducta ex antiquitatis fontibus, quam in barbaro auctore Longobardo saeculi decimi; maiore humanitate mens eius polita est, sed, ut Liudprandus alius est in historia Ottonis, in Antapodosi alius, sic Procopius in bellorum historia veterum exemplar non male imitatus, in historia arcana Iustinianum et Theodoram non minus quam ille Berengarium et Willam aculeata oratione punxit. Ut noster acerbus est ille irrisor et mordax cavillator, quem vix effugeret locus, quo inimicos non perstringeret; neque sordidas turpesque narratiunculas respuit, quamquam in hoc quoque paulo modestius quam Liudprandus egit.

III.

AUCTORIS DOCTRINA ET SCRIBENDI RATIO.

Pauca sunt, quae de Liudprandi scribendi ratione moneam, haud indigna mentione in eo viro, quem summo animi impetu modo huc modo illuc abreptum vidimus. Quae vero sit auctoris orationis genus, in nullo ex eius libris melius quam in Antapodosi perspici potest. Et est sane mirabilis huius libri facies, quem et pedestri oratione et versibus conscripsit, veterum et poetarum et prosariorum luminibus frequentavit, Graecis voculis ornavit, fictis regum et ducum orationibus, suisque sententiis et politicis et dogmaticis refersit, omnibusque verborum figuris, sexcenties repetitis, obruit. Habet igitur liber deforme aliquid et incompositi, quum permixto confusoque sententiarum ordine non iucunde animum mulceat, satietatem potius afferat. Sed qualis fuerit auctoris stilus, clarius apparebit, si quae in scribendo fuerint praesidia, quae eius doctrina, accuratius consideraverimus.

Liudprandi doctrinae quasi fundamentum, in quo reliqua consistunt, est scriptura sacra, cuius luminibus uberrime libros frequentavit et distinxit. Accedunt patrum quaedam sententiae, ut I, 10 Tertulliani, et nonnulli, ni fallor, loci e vitis apostolorum et sanctorum petiti, ut e vita quadam S. Petri et S. Sirii.[1]) Praeter quos duorum tantum librorum, qui medio aevo debentur, exstant vestigia. Primum libri Iordanis, quem, suppresso nomine, in Hungarorum saevissimis moribus describendis secutum se esse indicavit; eius enim est liber, ut annotavit Pertzius, quem de origine Hungarorum inscriptum esse dicit.[2]) Alterum

---

1) III, 5, 6. IV, 6.

2) Sunt Liudprandi verba II, 3: Ut autem ex libro, qui de origine huius inscribitur, didici, horum matres mox pueris editis ferro acutissimo faciem secant, scilicet ut, antequam lactis nutrimenta percipiant, vulnerum tolerantiam subire cogantur.“ Iordanes ir

opus, quod laudavit tantum, nihil ex eo mutuatus, sunt Ratherii episcopi praeloquiorum libri, quos in exsilio Patavino de exsilii aerumna polite et cum lectorum utilitate ab eo compositos esse noster scripsit.[1])

Longe maior est locorum messis, quos ex antiquis scriptoribus delibavit. Terentii enim, Horatii, Virgilii, Iuvenalis, Ciceronis, Vegetii et Boethii verba, modo apertius modo tectius orationi admixta praeclare probant, in Liudprando fuisse literas, illo tempore haud usitatas. Scriptorum locis, quos in margine editionis suae apposuit Pertzius, et prius collegit Martinius, hic supersedere possum, ad alia neque ultima doctrinae documenta transiturus, orationes et versus, quos libris suis inseruit.

Veterum enim exemplar Liudprandus in orationibus quoque scribendis intuitus est, quas illorum more duces et reges loquentes fecit; neque semel ex antiquis orationibus mutuatus est. Veras enim hominum orationes neque potuit ubique, neque voluit quidem posteris tradere, ut ex hoc iam satis patet, quod Arnulfum, Henricum, Anscarium, militum animos ad pugnandum versibus incitasse bona fide narrat.[2]) Et risum profecto vix tenebis, si eum veteres hoc modo imitatum esse videris, ut Berengarium Ludovicum captivum iisdem verbis, quibus Cicero Catilinam, increpantem fecerit: „Quousque tandem, Ludovice, abutere patientia nostra?“ aut Wicbertum et Archodum Terentii, Anscarium et Hattonem, in proelio concurrentes, Iuvenalis versibus invicem in se esse invectos legeris?[3]) Ne talium locorum meminerim, ubi Hungaros dicentes audimus, Martem fugientem perimere, dimicantem protegere, ubi Albericus in oratione frigidiorem verborum lusum in Burgundionum nomine profert, quem qui linguam Germanicam non cal-

24 ita scripsit: Nam maribus ferro genas secant, ut antequam lactis nutrimenta percipiant, vulneris cogantur subire tolerantiam.

1) III, 52.

2) I, 26. II, 22, 26. V. 5.

3) II, 41. V, 6, 8.

let, vix intelligat, ubi Otto rex virum, Giselberti et Eberhardi ducum mortem nuntiantem, talibus verbis alloquitur, quae auctori ipsi in memoriam revoces: „Dehinc per longa exorsa et rhetorum prooemia salutationibus nos demulce. Non qualiter, sed quid dicas, praesens tempus exspectat. Malumus enim rusticana simplicitate laetari, quam Tulliana facetia periclitari.“[1]) Aliter tamen, ne auctori iniuriam facere videar, de orationibus et sermonibus statuendum est, quas in historia Ottonis et in Legatione habemus; si non verba, res saltem, quae in iis proferuntur, ad veritatem accommodate scriptae sunt.

Ex eodem antiquitatis fonte haud raro sententiae, quibus librum suum frequentare voluit, petitae sunt, sic e Cicerone et Vegetio,[2]) etsi suo ingenio auctor debere videtur, quod de amicitia, de hominum inconstantia, de auri fame disseruit.[3]) In quibus vero incitatiore animo indulsit aut quae vividiore colore depingere conatus est, versibus descripsit, quibus haud levia barbarae aetatis vestigia impressit. Veteris enim testamenti Heloim cum Homeri Phoebo, Iesum Christum cum Tartaro et Phlegethonte, Venerem cum Herodia infelicissima societate coniunxit.[4])

Haud iniuste vero mireris, versus tam artificiosi tamque implexi metri ab homine saeculi decimi scribi potuisse; accuratius autem examinaturum non effugiet, Liudprandum non proprio Marte versus fudisse, sed ad Boethianorum imaginem diligenter eos expressisse. Ad Boethii enim libri de consolatione philosophiae exemplar eum Antapodosin composuisse, versuum et pedestris orationis miscendae infelix consilium atque metra ipsa docent. Ut taceam de usitatissimo hexametri metro,[5]) habes illos quoque versus, quibus Henrici regis orationem Liudprandus descripsit II, 25, apud Boethium I, 2. Canit ille:

---

1) II, 14. III, 44. IV, 29.
2) IV, 19. V, 27.
3) I, 14. II, 65. IV, 11.
4) II, 4, 22. III, 44.
5) I, 26, II, 22.

Inclita Saxonum Cèu leo frendens
Bella per innumera Gens erat olim. etc.

Eodem metro, dactylico penthemimeri coniuncto cum Adonio, usus est Boethius:

Heu, quam praecipiti Mersa profundo
Mens hebet et propria Luce relicta etc.

Versum dactylicum tetrametrum catalectum Antapod. II, 65, correpta prima et secunda thesi, invenies quinquies apud Boethium I, 5. IV, 6 etc.[1])

Tum quam satis horrida pugna
Oritur civilis et atra etc.

Boeth. IV, 6:

Si vis celsi iura tonantis
Pura sollers cernere mente etc.

Triginta septem quoque glyconeos, vix ferendos, quibus Berengarii mortem auctor Antap. II, 71 narravit, e Boethio I, 6. II, 8 etc. duxit.

Se primum quatiens strepit
Gallus, quum vigiles facit etc.

Boeth. I, 6.

Cum Phoebi radiis grave
Cancri sidus inaestuat etc.

Antapod. IV, 15 plangit Liudprandus Henrici regis mortem metro Sapphico, omissa Adonii clausula, quod e Boethio II, 6. IV, 7. sumsit:

Ipse qui quondam superare gentes
Impius bello solitus cruento etc.

Boeth. II, 6:

Novimus quantas dederit ruinas
Urbe flammata patribusque caesis etc.

Stropham, continentem versum hexametrum et tetrametrum dactylicum acatalectum IV, 18 ad Boethii exemplar imitatus est I, 3:

Regnandi tibi quid iuvenum tam dira cupido
Optime Saxigenum? Prohibet deus etc.

---

1) Boeth. de consolat. philos. ed. Hackii, et Pulmanni schema metricum ibid.

Boeth. l. l.

Tunc me discussa liquerunt nocte tenebrae
Luminibusque prior rediit vigor etc.

Denique tetrameter dactylicus catalectus in syllabam, sequente pherecrateo V, 11 exstat apud Boethium III, 6:

Improbe mons Avium, tali
Neque tu nominc dignus,
Conservas quia nam pestem,
Nunc quam perdere possis. etc.

Boeth. l. l.

Omne hominum genus in terris
Simili surgit ab ortu:
Unus enim rerum pater est,
Unus cuncta ministrat etc.

Sed non modo metra, saepius verba ipsa et versus e Boethio et poetis Romanis, non dico conquisivit, sed reddidit, ut videtur, quod ei, inscio fortasse, memoria suppeditaverat. Quod dixi e quibusdam Liudprandi versibus, ad exemplar revocatis, satis apparebit. Legimus v. c. II, 4 versus quosdam e duobus Boethii locis unoque Virgilii consarcinatos:

Nubibus omnipotens Heloim quum condere Phoebi
Lumina Chrysocomi venerandus coeperit atris,
Vertice cumque polus summo clangore remugit etc.

Boethii versus leguntur I, 7:

Nubibus atris
Condita nullum
Fundere possunt
Sidera lumen.

Et II, 3:

Cum polo Phoebus roseis quadrigis
Lucem spargere coeperit etc.

Quibuscum coniunge Aeneid. IX, 504:

Sequitur clamor, coelumque remugit.

Qui II, 22 leguntur versus, iterum e Boethio sunt petiti:

Conterit hic nitidos reges dudumque tremendos
Sublimesque volens; erigit hic miseros, etc.

Boeth. II, 1.

Dudum tremendos saeva proterit reges,
Humilemque victi sublevat fallax vultum,
Non illa miseros audit; etc.

E Virgilio comportavit versus III, 3:

Clarus ab infuso discedens sidere Phoebus
Zodiaci primum solito conscendere sidus
Incipit, et gelidas dissolvere colle pruinas etc.

Aeneid. IX, 460:

Tithoni croceum linquens Aurora cubile,
Iam sole infuso etc.

Ibid. VIII, 97:

Sol medium coeli conscenderat igneus orbem etc.

Georg. II, 263:

Id venti curant gelidaeque pruinae.

Indidem sibi duxit auctor I, 26 hunc versum:

Sumite nunc animos, vobis furor arma ministret.

Aeneid. I, 150:

Iamque faces et saxa volant, furor arma ministrat.

In Willam maiorem auctor IV, 11 ridicule iisdem verbis invehitur, quibus Virgilius Pollionis filium allocutus est:

Matribus insolitum tales producere partus,
Hinc tibi nulla decem tulerant fastidia menses.

Eclog. IV, 61:

Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem
Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Versus V, 11 Boethio debentur:

Invius esse soles etiam, Cum sol igneus ardet.
Tempore quo Cererem messor Curva falce reposcit,
Tempore quo radiis Phoebi Cancri sidus adurit.

Boeth. I, 6:

Cum Phoebi radiis grave
Cancri sidus inaestuat,
Tum qui larga negantibus
Sulcis semina credidit.
Elusus Cereris fide etc.

Quibus adde Aeneid. VIII, 97 supra laudatum versum, et hos Liudprandi, Boethii et Virgilii locos:

Hist. Ott. 8: Haec dum aguntur,
Phoebi radiis grave cancri sidus inaestuans etc.
Antapod. II, 65.
Cancri grave sidus aristas
Deiicit cum falce novellas.
Boeth. III, 1:
Falce rubos filicemque resecat
Ut nova fruge gravis Ceres eat.
Georg. I, 437:
Neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis.

Alia pars doctrinae, qua Liudprandus sua aetate excellebat, est linguae Graecae scientia, quam in occidente oblivione tunc obrutam fuisse scimus. Sed primis tantum labris Graecas literas attigisse videtur. Ipse profitetur VI, 3, ante primam legationem Constantinopolitanam se Graecae linguae penitus rudem fuisse; et altera quoque legatione linguae usum sibi parare non potuit, ut ipse narrat.[1]) „Testis est Leo coropalates frater eius, (Nicephori) testis est et interpres Euodisius, Ioannes, Romanus; testis sum ipse, qui quod imperator diceret, etiamsi interpres abesset, intellexi.“ Et Graecas voces, quas tam larga manu libris suis admiscuit, magnam, ni fallor, partem, fortasse exceptis λευκώλενος, ἄγλαα ἄποινα, γλαυκῶπις, e vulgari hominum sermone arripuit.[2]) Neque facerent melius de Graecis Liudprandi literis omen Demosthenis rhetorica et Aristotelis syllogismi,[3]) nisi duo loci doctrinam eius tuerentur. Unus est I, 12 quo verba, „sicut Lucianus de quodam dicit, quod dormiens multa reppererit, atque a gallo excitatus nihil invenerit,“ satis testantur auctorem Luciani dialogum „somnium seu gallus“ legisse. Alter est locus III, 41, ubi historiolam de Tiresia, cur caecatus sit, Graece legimus, quam nescio unde invexit. Ex Apollodoro eam descriptam esse conieceram, quum in vetustioribus editioni-

1) Leg. c. 54.
2) Schöll, Gesch. d. griech. Literatur t. III, p. 491.
3) III, 29.

bus Graeca verba penitus deessent, et latina tantum versio legeretur. Pertzii vero editio hanc coniecturam stare non posse docuit. Has vero aliasque Graecas lacinias auctorem apposuisse, ut vanae gloriolae aliquid daret, libere ipse confitetur his verbis: „et quia sonorius est, Graece illud dicamus.“[1])

Sed verissima effigies, qua Liudprandi indoles librique natura exprimi potest, est quo utitur dicendi genus; in hoc enim omnes eius et virtutes et vitia reperies. Est opimum illud genus, quod, contemta omni simplicitate et verecundia, apud infimae latinitatis scriptores erat usitatissimum; qui, quum quae vere recteque cogitata essent, eos deficere coepissent, ampla et grandiora verba sectabantur. Finge tibi Liudprandum modo e scriptura sacra et patrum libris voces hausisse, modo Virgilii et Horatii sublimiores et elatiores, modo Terentii et Iuvenalis lepidiores voces, modo Ciceronis locutiones sibi petiisse, cum his omnibus sua permiscuisse, et en habes novum sane et inauditum dicendi genus, quo vix singularius inveniri potest. Saepe apte scripsit auctor, verum est, sed saepius dicendi genus est modo summissum perque humum repens et frigidum, modo turgidum, phaleratum, imaginibus audax, verborum lusibus nimis ornatum, interiectionibus concisum et inani verborum turba molestum.

Sed dicat fortasse aliquis me severius quam iustius de Liudprandi scribendi genere statuisse, quum nemo umquam scribendi palmam medii aevi scriptoribus deferendam esse crediderit. Et est sine dubio eorum praestantia longe alio loco quaerenda; rebus, quas tradiderunt, sunt utilissimi, fide et ingenuitate plurimi aestimandi, nativa simplicitate venusti. Quis primam illam virtutem in Liudprandi libris inveniri neget? at vero simplicitate inter omnes quos legi illius aetatis scriptores paene maxime caret, et longe superatur a Widukindo, continuatore Reginonis, etiam a Thietmaro. Ideoque severius, ni fallor, iudicandus est Liudprandi stilus, qui librum frustis ex antiquitate petitis re-

1) II, 34.

fercire, et artis, male intellectae, gloriolam sequi, quam nativa simplicitate res conscribere mallet.

Quam dicendi rationem, turgidam et ampullis inflatam, interdum vix ferri posse, is tantum recte sentiet, qui libros ipsos legerit; sed ne hoc silentio praeteream, imaginum et elocutionum usitatissimarum exempla quaedam e medio depromam. Sunt certae quaedam res, quas prae ceteris auctor describere et ante oculos ponere solet, v. c. magnam celeritatem, qua hostes se invicem aggressi essent, II, 6, 50, 61. Sed accurate depingendi studium in insulsitatem haud raro conversum est, ut II, 15, ubi legimus Hungaros tanta celeritate confodisse christianos, „ut in gula cibum transfigerent;“ et II, 4, „citius enim ab iis spiritus recessit atque somnus.“ Eiusdem naturae est locus IV, 23, hostes Ottonis fugientes ignorasse, „cur fugerent, quoniam quidem prae paucitate sese insequentes hostes videre non poterant.“ Accedunt imagines et antitheses, ut I, 44: „mentis canities,“ III, 26: „ignorantes, quod lateret anguis in herba,“ IV, 25: „qui prius erant multisoni, mox ut pisces videntur insoni.“ IV, 27: „columbina non solum, sed viperina calliditate suffarcinatus.“ Et, I, 40: „marchio et comes cum immenso sed invalido exercitu — transeunt.“ II, 3: „insperata, magis autem non optata, gentis huius nuntiatur vicinitas.“ II, 10: „proeliari penitus formidabant, fugere omnino nequibant.“ II, 31: „Velox tunc sonipes piger queritur.“

Adde porro verborum lusus, tali libro penitus indignos, ut I, 44: „deflendo scribere et scribendo deflere.“ III, 40: „affectus eius pravus effectum habere non potuit,“ quae verba iterum leguntur in Leg. c. 4. IV, 22: „praemissa iam promissione deceptus.“ IV, 24: „iustoque regi iusta iuste petenti,“ quo lusu iam IV, 22 usus est. V, 27: „viriliter, sed inutiliter oppugnavit.“ Leg. c. 11: „filius non abfuit, uxor non defuit.“ Ib. c. 30: „O bellatorem, o fidelem! Prodere cupit, cui defensorem parat; defensorem parat, quem perdere cupit; in neutro fides, in utroque infidelitas; fecit, quo non eguit, eguit, quod non fecerat.“ Ibid. 63: „Ipsi capones (episcopi Graeci) — sed ha! caupones

volui scribere, verum res ipsa, quae vera est, veritatem etiam nolentem compulit scribere."

Eidem orationis luxuriae sunt quoque documento gradationes, neque verae neque aptae, e quibus sexcenties repetitis paucas deligam. Frequentissimus est in hisce locis particulae „immo" usus; v. c. I, 12: „ut speramus, immo credimus." I, 13: „grave periculum, immo exitium." I, 23: „loci munitione confisi, immo decepti." I, 42: „Hugonis mens custodis, immo proditoris atque carnificis." II, 6: „Adelbertus — elogiis delibutus, immo deceptus." Neque rarior est haec locutio: non solum — verum etiam, v. c. I, 32: „auri pondera non solum pollicens, verum etiam impraesentiarum tribuens." II. 6: „Adelbertus — proludii — non solum gnarus, verum etiam debriatus." II, 15: „non solum pugnam non inferebant, sed ut proximi caderent anhelabant." II, 20: „corona non auro — verum gemmis preciosissimis non solum inquam ornata sed gravata." II, 48: „solum non voluit, verum post etiam atque etiam compulit." II, 41: „oculos vero tibi auferre non solum iubeo sed compello." II, 73: „rex — Milonem se non solum custodire non sivit, verum etiam atque etiam vehementer prohibuit." IV, 13: „non solum non coepit amore diligere, verum omnibus modis exsecrare."

Cum hac loquendi forma cohaeret alia, ita ampla, ut e tanto verborum involucro, quid velit auctor, vix enucleés; duabus enim negativis vocibus affirmare solet. I, 12: „non incallidus." I, 13: „non inscius." I, 21: „non immemor." I, 42: „non absurdum esse non dico," et qua nulla invenitur frequentius, „non modicus." Eadem verbositas e talibus apparet locis: I, 11: „ingrediendi sibi aditum praebuit." I, 14: „minus recte sapiens." II, 1: „Vitalis calor Arnulfi regis membra deserens, reddidit corpus exanime." III, 25: „quia stare non potuit penitus cecidit." III, 44: „pons — qui pervius ingredientibus Romam atque egredientibus est." IV, 31: „qui iam praelibatos principes morte intercedente, non vivere dicunt." etc. etc.

Singulae voces earumque conformationes pinguius idem

dicendi genus probant. Sic verbis frequentativis et compositis, sensu minime mutato, ibi utitur auctor, quo simplicia exspectabas, quod quam inflatam orationem reddat, unusquisque videt. Multis denique mendis, quae grammaticam haud leviter offendunt, supersedere possum, quum frequentiorum errorum exempla in praefatione Pertzius collegerit, quorum maiorem messem sine ullo negotio facies.

CONSPECTUS CHRONOLOGIAE,

QUA LIUDPRANDUS IN ANTAPODOSI USUS EST.

Cap.	Chronologia Liudprandi.	Tempus accuratius descriptum.	pag. com.
I, 3	Fraxinetum a Saracenis occupatum.	888—890	86
I, 5	Hac tempestate regnant:		
	Constantinopoli Leo, filius Basilii,	30 Aug. 886—11 Mai. 912	
	apud Bulgaros Simeon,	— 927	110
	apud Germanos Arnulfus	Dec. 887 — 8 Dec. 899	
	apud Maravanos Centebaldus	869—894	
	apud Italos		
	Wido	Nov. 888—894.	68
	Berengarius	Dec. 887 — Mart. 924.	67
	Formosus Romae	891 — 896	
I, 13	Interea (Leone regnante) Arnulfus Hungaros in auxilium vocat et evertit Maravanorum regnum.	892 — 899	111
I, 14	Dum haec aguntur, moritur Carolus Crassus.	13 Jan. 888	67
I, 15	Itaque contingit, ut Franci Odonem regem constituant, et Beren-	1 Jan. 888	68

Cap.	Chronologia Liudprandi.	Tempus accuratius descriptum.	pag. com.
	garius Italiae regnum suscipiat.	26 Dec. — 2 Jan. 888.	
I, 18	Berengarii et Widonis pugna ad Triviam	888	69
I, 19	Diebus interpositis paucis pugna apud Brixiam.	889	
I, 23	Arnulfus expugnat Bergamum	894	72
I, 25	Arnulfus expugnat Romam	896	71
I, 29	Formosi decessore defuncto, Sergius papa creatur.	Stephanus V † Sept. 891. Sergius elect. Febr. 904.	79
I, 30	Arnulfo exstincto, Formosi cadaver a Sergio e sepulcro protrahitur.	Arnulfus † 8 Dec. 899. Formosi cadaver protrahitur 896.	80
I, 32	Arnulfus obsidet Firmum castellum	896	73
I, 34	Obsidet Eporegiam	894	72
I, 37	Wido Arnulfum persequens moritur	894	
	Lambertus rex constituitur	Febr. 892	75
I, 42	Lambertus moritur.	Sept. 898	82
II, 2	Primo anno post Arnulfi obitum Hungari depopulantur Bavariam.	900	
II, 4	Ludovicus rex fugatur.	910	112
II, 6	Huius tempore Adelbertus Babenbergensis, per septem annos rebellans, occiditur.	897—906	
I, 7	Paucis interpositis annis in Italiam invadunt Hungari.	899	88
II, 13	Pugna ad Brentam.	24 Sept. 899	

Cap.	Chronologia Liudprandi.	Tempus accuratius descriptum.	pag. com.
II, 17	Eadem tempestate moritur Ludovicus; succedit Conradus.	8 Nov. 911	
II, 19	Secundo regni anno deficiunt a Conrado principes, Henricus,	912	113
	Burchardus, Arnulfus.	914—917	
II, 20	Septimo regni anno obiit Conradus; succedit Henricus.	11 Apr. 919	
II, 24	Per idem tempus Hungari devastant Saxoniam.	919	114
II, 25	Henricus valetudine correptus,	924	
II, 28	victor apud Martisburgum.	933	
II, 32	Dum haec aguntur, Ludovicus, Burgundiae rex, Berengario bellum	900	84
	infert, et fugatur.	902	
II, 36	Modica temporis intercapedine, Ludovicus a Berengario caecatur.	905	85
II, 42	Interea Hungari devastant Italiam.	904	86
II, 43	Saraceni Fraxineto Aquas veniunt.	906	
II, 44	Eodem tempore Africani apud Garelianum castra metantur,	881	87
	anno primo Romani imperatoris.	921	
II, 47	Quo tempore sedit Ioannes X papa.	Mai. 914 — Jul. 928	93
II, 57	His temporibus Rudolfus, rex Burgundiae, in Italiam vocatur.	Jan. 922	96

Cap.	Chronologia Liudprandi.	Tempus accuratius descriptum.	pag. com.
II, 61	Inter agendum Hungari in Italiam veniunt.	921	96
II, 65	Per triennium regnat Rudolfus.	Jan. 922 — 926	98
II, 71	Berengarius occiditur.	post 28 Mart. 924	97
III, 2	Rege Berengario defuncto, Pavia ab Hungaris evertitur.	12 Mart. 924	
III, 13	Denique Rudolfi regis socer Burchardus dux occiditur.	4. Maj. 926	99
III, 16	Haec dum aguntur, Hugo venit in Italiam.	9. Jul. 926	
III, 18	Quo tempore Bertha obiit, mater eius.	925	
III, 22	Tunc temporis regnat Romanus imperator.	Dec. 920	110
III, 26	Leoni imperatori succedunt Alexander frater et Constantinus filius.	912	
	Post modicum moritur Alexander.	6. Jun. 913	108
	Quo audito Romanus venit Cstpolim.	919	
	Mox Romanus pater imperatoris creatur.	Apr. 919	110
III, 27	Phocas fugatur a Bulgaris.	917	109
III, 30	Eodem anno, quo Romanus pat. imp. constitutus est, Helena filia eius nubit Constantino Porph.	Pasch. 919	110
III, 35	Secundo anno Romanus Caesar creatur.	24 Sept. 920	
III, 37	Christophorus filius eius imperator.	20 Maj. 921	

Cap.	Chronologia Liudprandi.	Tempus accuratius descriptum.	pag. com.
	Post modicum moritur Christophorus.	Aug. 931	110
III, 42	Eodem tempore Hilduinus episcopus venit in Italiam.	927	103
III, 43	Interea Ioannes X papa deiicitur.	Jul. 928	94
	Quo mortuo Ioannes XI. papa creatur.	Apr. 931	95
III, 47	His temporibus Hugo cedit Rudolfo quae in Gallia possidet.	928	102
IV, 2	Lotharius rex constituitur.	Maj. 931	43
IV, 3	Albericus ducit Aldam, Hugonis filiam, in matrimonium.	936	
IV, 10	Per idem tempus Boso, Hugonis frater, expellitur.	936	47
IV, 12	Praeterea Rudolfus rex moritur.	Sept. 937	48
IV, 14	Eo tempore Henricus rex moritur.	2 Jul. 936	62
IV, 17	Quo tempore Henricus iunior in Ottonem fratrem res novas molitur.	938	
IV, 28	Eberhardus et Giselbertus duces occiduntur.	939	
V, 1	Post mortem eorum Liutolfus, Ottonis filius, Idam in matrimonium ducit.	947	63
V, 2	Hoc tempore Radamirus, rex Galiciae, fugat Abderhamanem.	939	64
V, 5	Anscarius marchio occiditur.	940	51

Cap.	Chronologia Liudprandi.	Tempus accuratius descriptum.	pag. com.
V, 10	Interea Berengarius in Germaniam aufugit.	940	52
V, 14	Dum haec aguntur, Bertha, Hugonis filia, uxor Romani iunioris poscitur.	943	56
V, 19	Hoc tempore Hugo pacem emit ab Hungaris.		
V, 20	Eadem tempestate Bertha nubit Romano.	Sept 944	
V, 21	Romanus imperator a filiis deiicitur.	16 Dec. 944	60
V, 22	Filii eius deiiciuntur a Constantino Porphyrogenito.	27 Jan. 945	61
V, 26	Interea Berengarius in Italiam redit.	945	53

Liber sextus Antapodosis, historia Ottonis et Legatio, in quibus accurate describuntur, quae intra breve temporis spatium facta sunt, non sibi poscunt similem chronologiae conspectum.

APPENDIX.

TABULAE, QUIBUS CHRONOLOGIA PAPARUM A STEPHANO V USQUE AD IOANNEM XIII ILLUSTRATUR.

885 — 972.

(Omissae sunt tabulae, in quibus notae chronologicae desiderantur, paucaeque aliae, quae ad nullum calculum revocari poterant. Paparum literae asterisco signatae sunt.)

BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·

Inter omnes constat, historiae pontificum, qui exeunte saeculo nono et primo dimidio saeculi decimi b. Petri sedem tenuerunt, auctorem Liudprando meliorem nos non habere. At qualis sit optimus ille auctor, neminem, credo, latebit; quanta enim diligentia legendus, quantaque cautio adhibenda sit in difficultatibus Liudprandi auctoritate enodandis, quum ex haud paucis commentationis nostrae locis, tum ex iis, quae de pontificibus memoriae tradidit, luce clarius apparet. Qualem haberemus Romanorum pontificum historiam, lacunis interruptam, malaque chronologia confusam, si in tanta rerum obscuritate uni huic duci addicti essemus. Est igitur, quod fortunae fautrici gratiam habeamus, quae alia quaedam praesidia nobis servaverit, quibus pontificiae historiae lux quaedam, etsi tenuior, quam optes, porrigi possit. Sunt haec, ut taceam de Flodoardi versibus, qui laudationem potius quam res gestas pontificum continent,[1]) deque eiusdem auctoris chronico et chro-

---

1) Sunt versus illi, ni fallor, ex inscriptionibus sepulcrorum pontificum hausti, ad quam originem digitum quasi intendit Papebrochius in paralipomenis ad conatum chronico-historicum in Actis sanctorum Maj. tom. VII, p. 74, 76. Haud aliter, paucissimis etsi verbis, statuerunt Pagius crit. t. III, p. 896, Pagius iunior in breviario hist. pontif. t. II, p. 494, Muratorii interpres German. Ann. t. V, p. 297, an. u. Res ipsa maioris est momenti, quam quae hoc loco paucis absolvi possit.

nico Cavensi, quae pauca, sed utilissima illa de pontificibus habent, sunt haec praesidia duplicis generis, catalogi pontificum et tabulae publicae. Sed neque haec integra neque a tempore intacta nobis tradita sunt.

Maxime dolendum est, quod tabulae publicae neque tam frequentes sunt, neque annorum numeri, quos exhibent, tam accurate descripti, ut in computandis pontificum epochis catalogis penitus supersedere possimus, qui haud scio an historiae, e tanta vetustate eruendae, maiorem confusionem quam utilitatem attulerint. Non profecto e catalogorum paucitate laboramus; multi enim, quum summa esset religio, qua pontifices observari colique solebant, nobis servati sunt; quos Eccardus [1]) et Pagius [2]) ediderunt, qui Pandulfi Pisani,[3]) Cavensis,[4]) Farfensis [5]) aliisque nominibus feruntur, neque minus qui apud Hermannum Contractum,[6]) Marianum Scotum, Sigebertum Gemblacensem,[7]) Martinum Polonum,[8]) Amalricum Augerium [9]) aliosque leguntur.

At qui tandem fructus redundat e tanto catalogorum numero? Ut libere dicam aut nullus aut rarissimus, si imminutam fidem his solis tribuere velis, quum vel praestantiorum catalogorum ope adiutum te pontificum epochis lucem allaturum esse spes sit incerta. Quam enim fallax sit hoc praesidium, vel inde patet, quod mirabere potius, catalogos in numeris annorum, mensium et dierum, qui singulis pontificibus assignantur, uno alterove loco inter se consentire, quam, quod paene ubique invenies, dissidere. Neque melius de iis sperari potest, nisi de fonte et origine, neque minus de communi vinculo, quo catalogi illi

---

1) Corpus hist. med. aevi t. II, p. 1629.
2) Critica ad Baronium t. I. p. L.
3) Muratori scrpt. rer. Ital. t. III, 2 p. 327.
4) Ibid. t. II, 2 p. 308. Anastas. ed. Blanchini t. II, p. CXVII.
5) Pez thes. anecdot. t. I, 3 p. 373. Zachariae biblioth. Pistoj. I, p. 78.
6) ed. Ussermann.
7) ap. Pistorium scrpt. rer. Germ.
8) ap. Schilterum p. 364.
9) Murat. script. III, 2.

contineantur accuratius inquiratur; quod quum hoc loco fieri nequeat, eos, ubi opus erit, adscivisse satis habebimus.

Admonent vero priorum historiae pontificiae scriptorum vestigia, ne catalogis illis ducibus, eandem viam in constituendis pontificum temporibus ineamus; qui quum numeros in catalogis propositos accurate ad calculum vocare et pontificum consecrationis diem aeque ac supremum eruere vellent, ex iisdem numeris diversissimas summas confecerunt. Alia enim pontificum tempora constituit Ciaconius, alia Oldoinus,[1]) alia Cherubinius,[2]) aliique alia. Vidit quidem Palatius[3]) catalogis in diebus computandis fidem esse negandam, et eodem fere tempore Papebrocius[4]) pontificum chronologiam ad certa quaedam principia revocavit, eamque in libello suo, quem conatum nominavit, vel hodie nobis necessario, summa diligentia illustravit, sed hic quoque catalogorum numeris nimium confisus. Tandem historia pontificia adepta est servatorem, criticum perfectum, Pagium, qui in his quoque rebus expediendis eo maiorem sui movet admirationem, quo paucioribus tabulis adiutus, in tanta catalogorum confusione vera rectaque tam mira sagacitate vidit, ut calculos eius novis argumentis et praesidiis saepius probare, quam emendare possem. Neque mirum igitur, quod hunc quasi signiferum, qui postea de pontificum historia inquisiverunt, plus minusve presso pede secuti sunt, Pagius iunior,[5]) Bruys,[6]) Muratorius, Bowerus[7]) etc.

In hac catalogorum dubia fide eo maiorem operam in colligendis pontificum a Stephano V. usque ad Ioannem XIII. tabulis ponendam esse arbitrabar, quo exiliorem messem talium diplomatum ii libri praebebant, in quibus eorum usum frequentissimum paratum esse exspectabam, ut Coc-

---

1) Ciaconii hist. Roman. pontif. ed. Oldoinus. Rom. 1677.

2) Bullarium magnum p. 30.

3) Gesta pontif. Venet. 1687.

4) Conatus chronico-histor. in propyl. ad Act. sanct. mens. Maj. t. IV, p. 144. Paralipomena t. VII, p. 72.

5) Breviar. pontiff. Roman. t. II.

6) Histoire des papes. 1732. t. II.

7) Gesch. d. Päpste ed. Rambach t. VI.

quelinii et Cherubinii bullaria. Sed vel sic tabularum pontificalium paucitas operam meam lusit, nam nisi temporum invidia penitus illae sunt praereptae, vel in nescio quibus scriniis oblivione premuntur, vel in reconditis, qui me fugerunt, libris latent. Utut est, qui scit, et sciunt, credo, omnes, neminem tale colligendi consilium ita sustinere posse, ut prorsus ei satisfaciat, non sane vitio mihi vertet, quod desit in indice meo unum alterumve pontificum diploma, aut quod historiae pontificum aliis quoque, quas collegi, tabulis consuli posse credideriim. Ne quid enim omisisse viderer, ut clariore, si fieri possit, hac pontificum chronologiam illustrarem, haud paucas aliorum hominum Italorum, episcoporum potissimum et abbatum chartas adscivi, in quibus anni pontificum erant annotati. Quibus auxillis adiutus, si non novam, tutiorem tamen huius temporis historiae expediendae viam iniisse mihi videor.

Iam proponam tabularum indicem, adiectis quibusdam annotationibus, quibus corrupta signa chronologica emendavi; dein sequetur calculus, ad quem singulorum pontificum epochas revocare conatus sum.

TABULAE.

		STEPHANUS V.
*1.	30 Maj. Ind. 5. (887)	Ad Wicbertum, episcopum Hildeshemensem, et Bovonem, abbatem Corbeiensem. Confirmatio privilegiorum. Script. p. m. Georgii scriniarii S. R. E. in m. Majo Ind. 5. Dat. 3 Cal. Jun. p. m. Leonis sacellarii s. s. ap. Imperante d. piissimo patre Carolo Augusto, coronato magno imperatore, a. 6, et post consulatum eius a. 6. Ind. 5. Schaten annal. Paderb. p. 196. (Ind. 5 indicat a. 887, a. imp. Caroli Crassi 6. a. 886; non liquet utrum linea I in ind. IV, an in numero anni imp. VII exciderit.)
2.	20 Nov. Ind. 8. (889)	Tabula Ingelradae ducarissae coniugis Martini ducis. Anno pontif. Stephani summi pontif. et univ. pap. 4. „Nomen d. imperatoris non habemus.“ Die 20 m. Novembr. Ind. 8. Fantuzzi monum. Ravenn. t. I. p. 90.
*3.	25 Mart. Ind. 8. (890)	Ad Dominicum, archiepiscopum Ravennatem, de consecratione Bernardi episcopi Placentini. Scrpt. p. m. Benedicti notarii et scriniarii s. s. ap.

STEPHANUS V.

in m. Martio. Dat. 8 Cal. April. p. m. Zachariae Dei pietate primicerii s. s. ap. Anno D. p. pontificatus d. Stephani summi pontificis et universalis papae in s. sede b. Petri 5. Ind. 8. Mansi collect. conc. t. XVIII. p. 26.

*4.	26 Febr. Ind. 9. (891)	Ad Bernardum episcopum Placentinum. Confirmantur privilegia ecclesiae. Scrpt. p. m. Anastasii notarii regioniarii S. R. E. in m. Februar. Ind. 9. Dat. 4 Cal. Mart. p. m. Zachariae primicerii. Imp. d. piis. Augusto Widone, a Deo coronato magno pacifico imperat. a. 1, et post consulatum a. 1. Ind. 9. Cocquelinii bullarium t. I, p. 226.

FORMOSUS.

*5.	25 Nov. Ind. 10. (891)	Privilegia monasterii S. Theuderici confirmantur, petentibus Barnoino, archiep. Viennensi, et Adalrico abbate. Dat. 7 Cal. Dec. p. m. Sergii primicerii. Imp. d. piis. Aug. Widone, a Deo coronato mag. imperat. a. 1, et post consulatum eius a. 1. Ind. 10. Bouquet. t. IX p. 202. (De ind. cfr. infra.)
6.	17 Nov. Ind. 10. (892)	Tabula, scripta an. pont. Formosi s. p. et u. p. 1, sicque imp. d. piis. perp. Aug. Widone, a Deo cor. pacif. m. imperat. a. 2, d. 17 m. Novemb. Ind. 10. Laudata in Rubeis hist. Ravenn. p. 248.
7.	18 Jun. Ind. 11. (893)	Donatio Luciae, ancillae Dei, ad Ingelradam comitissam, coniugem Martini ducis et comitis. An. D. p. pon-

		tif. Formosi s. p. et un. pap. 2, sicque imp. d. piis. perpetuo Aug. Widone, a Deo coron. imperat. a. 3, die 18 m. Jun. Ind. 11. Fantuzzi t. I p. 92.
8.	8 Apr. Ind. 12. (894)	Donatio Dominici archiep. Ravenn. ad Leonem abbatem. An. D. p. pontif. Formosi s. p. et un. pap. 3, imp. d. Guidone, a D. coron. pacifico mag. imperat. in Italia sexto, die 8 mens. April. Ind. 15. Fantuzzi t. VI, p. 5. (Sunt in hac tabula, ni fallor, anni regni non imperii Widonis numerati; a. r. 6 erat 894, eodem a. obiit Wido, igitur pro ind. 15 (897) ind. 12 ponenda.)
9.	12 Dec. Ind. 12. (894)	Tabula Dominici archiep. Ravenn. An. pont. d. Formosi s. p. et un. pap. 3; imp. d. Widone a D. coron. a. 4. d. 12 m. Decemb. Ind. 12. Rubeis p. 248. (De indictione cfr. infra.)
*10.	Nov. Ind. 13. (895)	Confirmantur bona et privilegia monasterii Gigniacensis, quod Berno abbas construxit, „hac praesenti tertia decima ind.“ Scrpt. p. m. Sergii scriniarii S. R. E. in m. Novembri, Ind. supra scripta. Imp. d. piis. Aug. Arnulfo a Deo cor. Bouq. t. IX, p. 203. (Pagii sententiae, qui diploma ad a. 896 revocare volebat, altera Bouqueti praeferenda videtur, Arnulfi nomen in Lamberti mutandum esse: hic enim ind. 13 erat imperator, minime Arnulfus. Boehm. reg. Carol. p. 109, 122.)

BONIFACIUS VI.

STEPHANUS VI.

11.	11 Jun. Ind. 14. (896)	Tabula Desideriae abbatissae. A. pontif. d. Stephani s. p. et un. pap. 1. Imp. d. piis. semper Aug. Lamberto, a D. cor. pacif. mag. imperat. a. 4, die 11 m. Jun. Ind. 14. Fantuzzi t. I p. 94. (Pro a. imp. 4 Lamberti i. e. 895, legendus est ex ind. 14 a. 5 i. e. 896. Formosus enim a. 895 erat adhuc inter vivos.)
*12.	20 Aug. Ind. 14. (896)	Ad Arnustum archiep. Narbonensem. Confirmantur bona et privilegia ecclesiae. Script. p. m. Nicolai scrin. S. R. E. in m. Augusto Ind. 14. Dat. 13 Cal. Sept. p. m. Stephani episcopi s. e. Nepesinae, arcarii s. ap. Imp. d. piis. Aug. Arnulfo, a D. cor. mag. imperat. a. 1. Ind. 14. Cocquel. t. I, p. 231.
13.	8 Sept. Ind. 15. (896)	Donatio Ingelradae comitissae, filiae Apaldi comitis palatii, viduae Martini ducis. A. pont. d. Stephani s. p. et un. pap. 1, sicque imp. d. piis. Lamberto a Deo cor. pacif. m. imperat. a. 4, die 8 m. Septembris Ind. 15. Muratorii ant. Ital. t. I, p. 153 (De ind. cfr. infra.)
*14.	23 Jan. Ind. 15. (897)	Confirmantur privilegia monasterii Viceliaci. Scrpt. p. m. Samuel notarii et scrin. S. R. E, in m. Januario. Ind. 15. Dat. 10 Cal. Febr. imp. d. Lamberto piis. Aug. a. D. cor. m. imperat. Ind. 15. Bouq. t. IX, p. 205.

ROMANUS.

*15.	Oct. Ind. 1. (897)	Privilegia ecclesiae Gerundensis confirmantur, petente Servo-Dei episcopo. Scrpt. p. m. Sergii scrin. S. R. E. In m. Octobri Ind. 1. Bouq. t. IX, p. 207.
*16.	15 Oct. Ind. 1. (897)	Bona ecclesiae Russilionensis confirmantur, petente Riculfo episcopo. Scrpt. p. m. Gregorii scrin. S. R. E. in m. Octobri Ind. 1. Dat. Id. Octob. p. m. Stephani nomenculatoris s. s. ap. Imp. d. piis. Aug. Lamberto a. D. coron. m. imperat. a. 6 et consulatus a. 6, Ind. 1. Bouq. t. IX, p. 206. (De ind. cfr. infra.)

THEODORUS II.

IOANNES IX.

*17.	13 Jan. Ind. 2. (899)	Ad Benedictum abbatem Nonantulanum. Confirmantur bona et privilegia monasterii. Scrpt. p. m. Sergii scrin. S. R. E. in m. Jan. Ind. supra scripta. (In textu legitur Ind. 14.) Ego Sergius Id. Jan. p. m. Anastasii primicerii defensoris s. s. ap. An. pont. d. Ioannis s. p. et un. IX. pap. 2, Ind. 2. Marini papiri diplomatici p. 9.
*18.	Maj. Ind. 2. (899)	Argrinum episcopum restituit Lingonensibus, quorum literas libenter suscepit „una cum dilecti filii nostri Berengarii regis apicibus.“ In m. Majo. Ind. 2. Bouq. t. IX, p. 208.
*19.	11 Maj. Ind. 2. (899)	Ad Carolum regem de Argrino episc. Lingonensibus restituendo. Scrpt.

IOANNES IX.

p. m. Samuel notarii et scrin. S. R. E. 5 Id. Maj. Ind. 2. Ibid. p. 208.

BENEDICTUS IV.

*20.	30 Aug. Ind. 3. (900)	Ad Galliarum archiepiscopos, episcopos, gloriosissimos reges, duces, comites. Argrinum episcopum Lingonensem esse restituendum, ut iam constituit Ioannes papa „cum collegio episcoporum suorum.“ Scrpt. p. m. Sergii scrin. S. R. E. in m. Aug. Dat. 2 Cal. Sept. p. m. Leonis Dei pietate primicerii s. s. ap. Ind. 3. A. pont. d. Benedicti s. p. 1, a. 2 post obitum Lamberti imper. Aug. Bouq. t. IX, p. 211.
*21.	eodem die.	Ad clerum populumque Lingonensem, de Argrino restituendo. Signa chronologica ut supra. Ibid. p. 212.
22.	26 Jul. Ind. 6. (903)	Donatio Petri diaconi, filii Martini ducis et Ingelradae. An. pont. d. Benedicti s. p. et un. pap. 4. Sicque imp. d. Aug. Ludovico a D. cor. pacif. m. imperat. a. 3, die 26 m. Julii Ind. 6. Fantuzzi t. I, p. 102.

LEO V.

CHRISTOPHORUS.

*23.	26 Dec. Ind. 7. (903)	Bona et privilegia monasterii Corbeiensis veteris confirmantur, petentibus Francone abbate et Otgario coepiscopo. Scrpt. p. m. Sergii scrin. S. R. E. in m. Dec. Ind. 7. Dat. 7

CHRISTOPHORUS.

Cal. Jan. Imp. d. piis. Aug. Ludovico a D. cor. imperat. Cocquel. t. I, p. 236. (De ind. cfr infra.)

SERGIUS III.

24.	15. Jul. Ind. 8. (905)	Tabula Ioannis archiep. Ravenn. An. pont. D. p. d. Sergii s. p. et un. pap. 2, Ludovici a 4. Ind. 8. die 15 m. Jul. Fantuzzi t. I, p. 104. (Ludovici a. i. est 5. Cfr. Boehm. reg. Carol. p. 139.)
*25.	17 Jul. Ind. 8. (905)	Ad Efimiam abbatissam. Donantur bona monasterio S. Sixti. Scrpt. p. m. Antonii scrin. S. R. E. m. Augusto Ind. 5. 16 Cal. Aug. p. m. Stephani arcarii s. s. ap. An. pont. D. p. Sergii s. p. et u. III p. in s. s. b. Petri 2, Ind. 5. (Pro ind. V legenda videtur VIII; illa indicat a. 902, quo nondum sedebat in Petri cathedra Sergius.) Marini p. 30.
26.	4 Apr. Ind. 9. (906)	Tabula Ioannis archiep. Ravenn. An. pont. D. p. d. Sergii s. p. et un. p. 3, die 4 m. April. Ind. 9. Amadesii chronot. t. II, p. 283.
*27.	25 Maj. Ind. 9. (906)	Donantur ecclesiae Silvae candidae, petente episcopo Hildebrando, coloniae nonnullae „ob desolationem, quam passa est a nefandissima Saracenorum gente, sicut ruina ipsius loci testatur et plebs atque casalia, quae paene absque agricolis et habitatoribus esse noscuntur.“ Scrpt. p. m. Melchisedech protonotarii s. s. ap. in m. Maj. Ind. 8. Dat. 8 Cal. Jun. p. m. Theophylacti cancell. s. s.

SERGIUS III.

		ap. A. pont. D. p. d. Sergii s. p. et u. III p. in s. s. b. Petri ap. 3. Ind. 8. Cocquel. t. I, p. 237.
28.	19 Jan. Ind. 10. (907)	Donatio ad ecclesiam Ravenn. A. pont. D. p. d. Sergii s. p. et u. p. 3. d. 19 Jan. Ind. 10. Amades. t. II, p. 232.
29.	1 Febr. Ind. 10. (907)	Tabula Ioannis archiep. Ravenn. An. pont. D. p. Sergii s. p. et u. p. 4, die 1 m. Febr. Ind. 10. Ibid. t. II, p. 235.
*30.	7 Maj. Ind. 10. (907)	Ad capitulum Astense. Confirmantur privilegia, petente Audace episcopo. Scrpt. p. m. Melchisedech protoscrin. s. s. ap. in m. Maj. Ind. 10. Non Maj. p. m. Theodori archic. s. ap. A. D. p. Sergii s. p. et u. p. in s. b. Petri 4. Ughelli t. IV, p. 343.
31.	3 Sept. Ind. 12. (909)	Tabula Ingelradae Dei nutu comitissae, filiae quondam d. Martini comitis. A. pont. d. Sergii s. p. et u. p. 6, d. 3 m. Sept. Ind. 12. Fantuzzi t. I, p. 105. (Alia tabula iisdem signis chronologicis notata exstat apud Amadesium t. II, p. 223.)
32.	13 Nov. Ind. 13. (910)	Tabula eiusdem. A. pont. d. Sergii s. p. et u. p. 7, die 13 m. Novemb. Ind. 13. Fantuzzi t. I, p. 107.
33.	4 Sept. Ind. 14. (911)	Tabula Ioannis archiep. Ravenn. A. pont. d. Sergii s. p. et u. p. 8, die 4 m. Sept. Ind. 14. Fantuzzi t. I, p. 108.
34.	8 . . . . . (911)	Donatio Adelberti et Leae coniugum ad ecclesiam Ravenn. A. pontif. d. Sergii s. p. et u. p. 8, die 8 m. . . . Amades. t. II, p. 225.

		ANASTASIUS III.
35.	31 Aug. Ind. 15. (912)	Tabula Ioannis archiep. Ravenn. A. pont. d. Anastasii s. p. et u. p. 1. pridie Cal. Sept. Ind. 15. Amades. t. II, p. 227.
		LANDO.
36.	5 Febr. Ind. 2. (914)	Tabula Ioannis archiep. Ravenn. A. pontif. d. Landonis s. p. et u. p. 1. die 5 m. Febr. Ind. 2. Ibid. p. 229.
		IOANNES X.
*37.	19 Maj. Ind. 5. (917)	Ad monasterium Fuldense. 14 Cal. Jun. An. pont. d. Ioannis s. p. et un X pap. in s. s. b. P. 4. Imp. d. piis. Aug. a D. cor. m. imperat. Berengario a. 2 et patriciatus a. 2. Ind. 5. Broweri antiq. Fuld. p. 284.
38.	27 Maj. Ind. 6. (918)	Tabula Constantini archiep. Ravenn. A. pont. d. Ioannis s. p. et u. p. 5, sicque imp. d. Aug. Berengarii m. imperat. 3. 6 Cal. Jun. Ind. 6. Fantuzzi t. I, p. 114.
39.	1 Febr. Ind. 7. (919)	Tabula eiusdem. A. pont. d. Ioannis s. p. et u. p. 3, sicque imp. d. piis. perpetuo Augusto Berengario a D. cor. pacif. m. imperat. a. 4. d. 1 Febr. Ind. 7. Ibid. p. 112. (Signa chronologica sunt corrupta.)
40.	4 Jun. Ind. 7. (919)	Donatio Firmiani consulis. A. pont. d. Ioannis s. p. et u. p. 6, sicque imp. d. piis. perp. Aug. Berengario a D. cor. pacif. m. imperat. a. 4, die 4 m. Jun. Ind. 6. Murat. ant. It. t. II, p. 125. (Ex annis papae et imperatoris ind. 4 mutanda est in 7.)

IOANNES X.

41.	30 Aug. Ind. 7. (919)	Tabula Ursonis summi ducis. An. pont. d. Ioannis s. p. et u. p. 6, sicque imp. d. piis. perp. Aug. Berengario, a D. cor. pacif. m. imperat. 5, d. 30 m. Aug. Ind. 7. Fantuzzi t. I, p. 116. (Annus imp. Berengarii V mutandus est in IV, ex ind. et anno pont. Ioannis.)
*42.	Sept. Ind. 8. (920)	Bona monasterii St. Mariae Veronensis confirmantur, petente Benedicto abbate; eximitur monast. a iurisdictione episcoporum Veronensium, et subiicitur Popponi patriarchae Aquilejensi. Scrpt. p. m. Ioannis cardinalis et cancell. vice Petri diac. in m. Sept. et ind. 8. Dat. p. m. Dodonis episcopi et bibliothecarii S. R. E. An. pont. d. Ioannis s. p. et u. p. X in s. s. b. Petri 7. Cocquel. t. I, p. 240.
*43.	Nov. Ind. 8. (920)	Confirmantur privilegia ecclesiae Augustodunensis. Scrpt. p. m. Adriani scrin. S. R. E. in m. Nov. Ind. 8. Bouq. t. IX, p. 214.
44.	15 Febr. Ind. 9. (921)	Tabula Constantini archiep. Ravenn. An. pont. d. Ioannis s. p. et u. p. 7, sicque imp. d. Berengario m. imperat. a. 5, die 15 m. Febr. Ind. 7. Fantuzzi t. I, p. 117. (Ind. 7 ex annis pontificis et imperatoris mutanda est in 9.)
45.	Mart. Ind. 9. (921)	Donatio ad Honestum archiep. Ravenn. Ioanne s. p. et u. p. in apostolatu a 7. imp. d. Berengario sereniss. imp. a. . . . . in m. Marcio. Ind. 9. Amades. t. II, p. 241.
46.	9 Maj. Ind. 9. (921)	Placitum Honesti archiep. Ravennatis et Odelrici vassi et missi d. im-

IOANNES X.

peratoris. Temporibus d. Ioannis s. p. a. 7, sicque imp. d. Berengario piis. perp. Aug. pacif. m. imperat. a. 10 d. 9 m. Madii Ind. 9. Murat. ant. It. t. II, p. 969. (Annum 10 imperii Berengarius non complevit, est a. 6.)

47. 24 Jun. Ind. 14. (926) — Tabula Ermengardae. An. pont. d. Ioannis s. p. . . . . die 24 m. Jun. Ind. 14. Fantuzzi t. IV. p. 170.

48. 16 Jul. Ind. 15. (927) — Donatio ad ecclesiam Ravenn. An. pont. d. Ioannis s. p. 14, die 16 m. Jul. Ind. 15. Amades. t. II, p. 246.

LEO VI.

STEPHANUS VII.

49. 13 Apr. Ind. 3. (930) — Tabula Leonis. An. pont. Stephani s. p. 1 . . . . Ugone rege . . . . anno . . . . die 13 m. April. Ind. 3. Fantuzzi t. VI, p. 8.

50. 27 Apr. — Confirmatio monasterii Broniensis a Gerardo abbate restaurati. Ego Castorius notar. regionarius et scrin. S. R. E. corroborante apostolica auctoritate et S. Stephano suggerente, recognovi. Dat. 5 Cal. Maj. anno ab inc. dom. . . . . Actum Romae. Sequuntur nomina episcoporum. Cocquel. t. I, p. 241. (Non bene inter se consentiunt episcoporum nomina; subscripsit Rotherus Trevirens. archiep., obiit an. 928, Cont. Reg. Pertz t. I, p. 616; Benedictus Mettensis est Benno, cui caecato a. 928 successit Adalbero a. 929, Flod. Pertz. t. IV,

STEPHANUS VII.

p. 378; Stephanus Cameracensis obiit an. 935, Pagi crit. t. III, p. 839; de Hilduino Mediolanensi cfr. supra p. 103.)

IOANNES XI.

51.	Ind. 5. (932)	Ad Raimundum episcopum Tolosanum. Confirmantur privilegia ecclesiae. Scrpt. p. m. Stephani notar. et scrin. Lateranensis palatii in m. . . . et ind. 5. Cocquel. t. I, p. 243.
52.	18 Apr. Ind. 6. (933)	Tabula Honesti subdiaconi. An. pontif. Ioannis s. p. et u. p. 2, regnante Ugone die 18 m. April. Ind. 6. Fantuzzi t. II, p. 16.
*53.	8 Jan. Ind. 7. (934)	Ad Aimonem abbatem Viceliacens. Confirmantur privilegia monasterii. Scrpt. p. m. Andreae scrin. S. R. E. in m. Januar. Dat. 6 Id. Jan. p. m. Gregorii Deo amabilis sacell. s. s. ap. An. 3 pont. d. Ioannis s. p. et univ. XI papae. Ind. 6. Bouq. t. IX, p. 218. (Ind. 5 ex anno pontificis 3 mutanda videtur in 7.)

L E O VII.

54.	7 Maj. Ind. 9. (936)	Tabula commutationis bonorum inter Bonifacium comitem et Ingebertum abbat. Nonantulanum. Temporibus d. Leonis ap. pont. a. 1, regnante d. Ugone et d. Lothario filio eius magnis regibus, a. Ugonis 10 et Lotharii 6, die 7 m. Maj. Ind. 9. Tiraboschi Nonant. t. II, p. 115.

LEO VII.

55.	2 Jun. Ind. 9. (936)	Tabula Leonis abbatis Sublacensis. An. pont. d. Leonis s. p. et un. VI (leg. VII) pap. 1. Ind. 9. m. Jun. die 2. Murat. ant. It. t. II, p. 803.
*56.	11 Jul. Ind. 9. (936)	Ad Leonem abbatem Sublacensem. Confirmantur bona et privilegia monasterii, petente „magnifico viro ac dilectissimo fideli Alberico gloriosissimo principe atque omnium Romanorum senatore, — quia monasterium igne consumtum et ab Agarenis gentibus dissolidatum fuit, ubi non solum ea, quae usu sive utilitate supertulimus concremaverunt, verum etiam et universa instrumenta chartarum, quae a Romanis pontificibus fuerunt oblata, exusta sunt.“ Scrpt. p. m. Leonis scrin. S. R. E. in m. Jul. Ind. 9. Dat. 5 Id. Jul. p. m. Nicolai primicerii s. s. ap. An. 1 d. Leonis VI (leg. VII) papae. Murator. ant. It. t. VI, p. 201.
*57.	Jan. Ind. 11. (938)	Ad gloriosum principem Francorum Hugonem, abbatem coenobii S. Martini Turonensis; ne mulieres monasterium ingrediantur. Scrpt. p. m. Theodori notar. et scrin. S. R. E. In m. Januar. Ind. 11. Ludovico Francorum rege . . . Cocquel. t. I, p. 244.
*58	9. Jan. Ind. 11. (938)	Ad Odonem abbatem Floriacensem. Confirmantur privilegia monasterii. Scrpt. p. m. Theodori not. et scrin. S. R. E. in m. Jan. Ind. 11. Dat. 5 Id. Jan. p. m. Nicolai primicerii s. s. ap. An. pontif. et univers. VII pap. d. Leonis s. p. 3. Cocquel. t. I, p. 245.

LEO VII.

*59.	9 Febr. Ind. 11. (938)	Donatio ad monasterium Sublacense. Script. p. m. Leonis scrin. S. R. E. in m. Febr. Ind. 11. Dat. 5 Id. Febr. p. m. Nicolai primicerii, pontif. a. 3. Cocquel. p. 246.

STEPHANUS VIII.

60.	4 Oct. Ind. 13. (939)	Tabula Pauli episcopi Liviensis. A. pont. d. Stephani s. p. et u. p. 1, et d. Ugonis regis a. 14 et d. Lotharii item regis et filii a. 10, die 4 m. Octobr. Ind. 13. Fantuzzi t. II, p. 17.
61.	29 Oct. Ind. 13. (939)	Tabula Petri archiep. Ravenn. An. pont. Stephani s. p. et u. p. 1, regnante d. Hugone piis. rege a. 14, d. Lothario eius filio item rege a. 9, die 29 m. Octobr. Ind. 13. Rubeis p. 256.
*62.	Oct. Ind. 13. (939)	Ad Aribertum abbatem Tollensem. In m. Octobr. Ind. 13. Campi Piacenza t. I, p. 486.
*63.	Dec. Ind. 15. (941)	Ad Rothildam abbatissam monast. Buxeriensis. Confirmatur monasterium a Gauzlino, episcopo Leuchorum, conditum. Scrpt. p. m. Stephani scrin. S. R. E. in m. Dec. Ind. 15. Dat. p. m. Nicolai primicerii ap. s. An. pont. d. Stephani s. p. et u. p. 3. Bouq. t. IX, p. 224.
64.	27 Jun. Ind. 15. (942)	Tabula Mariae abbatissae monast. St. Martini. An. pont. Stephani s. p. et u. p. 3, sicque regnante d. Hugone rege a. 16, et d. Lothario eius filio item rege a. 12, die 27 m. Jun. Ind. 15. Fantuzzi t. I, p. 121.

MARINUS.

*65.	4 Febr. Ind. 1. (943)	Ad Guidonem abbatem Viceliacensem. Scrpt. p. m. Azzonis scrin. S. R. E. in m. Febr. Ind. 1. Dat. 2 Non. Febr. p. m. Benedicti episc. et bibliothec. s. s. ap. An. pont. d. Marini s. p. et u. p. 1. Bouq. t. IX, p. 225.
*66.	27 Mart. Ind. 1. (943)	Ad monasterium Fuldense. Dat. 6 Cal. April. An. pontif. d. Marini s. p. univ. iuniorisque papae in s. s. b. Petri 1 et Ind. 1. Schannat hist. Fuldens. cod. prob. p. 146.
67.	12 Apr. Ind. 1. (943)	Tabula Petri archiep. Ravenn. An. pont. d. Martini s. p. et u. p. 1 sicque regnante d. Ugone piis. rege a. 17, sed et d. Lothario . . . . a. 13. d. 12 m. Apr. Ind. 1. Fantuzzi t. IV, p. 174.
68.	14. Jul. Ind. 1. (943)	Tabula eiusdem. An. pont. Marini s. p. 1, regnante d. Ugone Romanorum rege a. 17 et d. Lothario item rege eius filio a. 13, d. 14 m. Jul. Ind. 1. Laud. ap. Rubeis p. 256.
*69.	Mart. Ind. 2. (944)	Ad Leonem abbat. Vulturnensem. Confirmatio privilegiorum. Scrpt. p. m. Adriani scrin. S. R. E. in m. Martio. Ind. 2. Dat. p. m. Stephani primicerii defensorum s. s. ap. An. pont. d. Marini s. p. II, 2. Cocquel. t. I, p. 249.
70.	14 Jan. Ind. 3. (945)	Tabula Alberici principis. An. pont. d. Marini s. p. et univ. II papae in s. s. b. Petri 3 Ind. 3, mens. Januar. d. 14. Ughelli t. I, p. 1026.

AGAPETUS II.

71.	Ind. 5. (947)	Ad Leonem et Benedictum falsos episcopos, qui Triventinam et Termolensem ecclesiam usurparunt. Dat. p. m. Stephani primicerii s. s. ap. An. pont d. Agapiti s. p. et u. p. 1. Ind. 5. Mansi t. XVIII, p. 412.
72.	20 Sept. Ind. 5. (947)	Donatio Constantini cuiusdam. An. pont. Agapiti s. p. et u. p. 2, sicque regnante d. Ugone piis. Aug. rege 22, d. Lothario filio item rege. a 10. die 20 m. Sept. Ind. 5. (Hugo rex obiit die 4 m. April. a. 947 a. r. 21. In numero a. r. Lotharii est lacuna.) Fantuzzi t. I, p. 123.
73.	1 Oct. Ind. 5. (947)	Tabula Ravenn. An. pont. Agapiti s. p. et u. p. 5, die 1 m. Octobr. Ind. 5. Ibid. t. VI, p. 10. (Falso computatus est a. pont. 5.)
*74.	26 Oct. Ind. 5. (947)	Ad Hadamarum abbat. Fuldensem, confirmatio privilegiorum monasterii. Scrpt. p. m. Leonis scrin. S. R. E. in mens. Octobr. Ind. 5. Dat. 7 Cal. Nov. p. m. Stephani primicerii s. s. ap. An. pont. Agapiti s. p. et un. II pap. 2. Cocquel. t. I, p. 250.
*75.	2 Jan. Ind. 6. (948)	Ad Adelgarium archiep. Hammaburgensem. Petente Hadamaro, abbate Fuldensi, conjungitur ecclesia Bremensis cum Hammaburgensi. Commendantur archiepiscopo „illi etiam, qui nunc suo tempore divina protegentia ad Christi conversi sunt fidem, videlicet episcopis Danorum, Norvenorum, Sueonum nec non omnium septemtrionalium partium. Scrpt. p. m. Arronis not. region. et scrin. S. R. E. in m. Jan. Ind. 6. Dat. 4.

		AGAPETUS II.
		Non. Jan. p. m. Andreae arcarii s. s. ap. Mansi t. XVIII. p. 410.
*76.	3 Jan. Ind. 6. (948)	Ad Wendelgardam abbatissam Gandershemensem. Confirmantur bona et privilegia monasterii. Scrpt. p. m. Stephani scrin. S. R. E. in m. Januar. Ind. 6. Dat. 3 Non. Jan. p. m. Andreae divini respectu gratia arcarii s. s. ap. An. pont. Agapiti s. p. iunioris pap. 2. Cocquel. t. I, p. 251.
*77.	Mart. Ind. 7. (949)	Ad Aimardum abbat. Clugniacensem. Confirmantur privilegia monasterii. Scrpt. p. m. Leonis notar. region. et scrin. S. R. E. in m. Martio Ind. 7. Ibid. p. 251.
78.	16 Mart. Ind. 7. (949)	Tabula Mariae abbatissae monast. St. Martini. An. pont. Agapeti s. p. et u. p. 4, sicque regnante Lothario piis. rege a. 19, die 16 m. Mart. Ind. 7. Fantuzzi t. I, p. 125.
79.	23 Jun. Ind. 7. (949)	Tabula. An. pont. Agapiti s. p. 4, Lotharii autem regis a. 19. 9 Cal. Jul. Ind. 7. Rubeis p. 256.
80.	14 Nov. Ind. 8. (950)	Tabula Leae abbatissae monaster. St. Martini. An. pont. Agapiti s. p. et u. p. 5, sicque regnante Lothario a. 20, die 14 m. Novemb. Ind. 8. Fantuzzi t. I, p. 128.
*81.	Dec. Ind. 9. (950)	Ad Godefredum abbatem Cuxanensem. Confirmatio bonorum monasterii. Scrpt. p. m. Leonis not. region. et scrin. S. R. E. in m. Decembr. Ind. 9. Cocquel. t. I, p. 252.
82.	8 Jan. Ind. 9. (951)	Tabula Sergiae abbatissae monast. St. Mariae. An. pont. Agapiti s. p. et u. p. 5, sicque regnante Lothario a. 22, d. 8 m. Jan. Ind. 9. Fant. t. I, p. 130.

		AGAPETUS II. (Lotharius neque duxit vitam ad a. r. 22, neque vixit an. 951, quem indicat Ind. 9.)
*83.	Dec. Ind. 10. (951)	Confirmatio bonorum ecclesiae Urgellensis. Scrpt. p. m. Leonis not. region. et scrin. S. R. E. In m. Dec. a. 951, Ind. 10. Cocquel. t. I, p. 253.
*84.	eodem.	Ad Arnulfum abbat. Riupullensem. Confirmatio bonorum monasterii. Scrpt. p. m. Stephani, reliq. ut supra. Ibid. p. 254.
*85.	eodem.	Ad Suniarium abbat. Carcassensem. Confirmatio bonorum monasterii. Ut supra. Bouq. t. IX, p. 231.
86.	24 Maj. Ind. 10. (952)	Ad Leonem abbatem monaster. Sublacensis. Donatio Benedicti ducis et consulis. An. pont. d. Agapiti s. p. et un. iunioris p. 7. Ind. 10 in mense Madio die 24. Murat. ant. It. t. I, p. 163.
87.	27 Jun. Ind. 10. (952)	Tabula Ravennat. An. pont. Agapiti s. p. et u. p. 7, die 27 m. Jun Ind. 10. Fantuzzi t. I, p. 132.
88.	15 Maj. Ind. 11. (953)	Tabula Anselmi archipresbyteri. An. pont. d. Agapiti s. p. et u. p. 7, regnant. d. Berengario et Adelberto filio ej. a. 2, d. 15 m. Madii, Ind. 11. Murat. ant. It. t. III, p. 147. (Non liquet, utrum a. r. Berengarii et Adalberti 2 ex ind. 11 in 3, an ex illo ind. 11 in 10 mutanda sit.)
89.	15 Jun. Ind. 11. (953)	Tabula Petri archiep. Ravenn. An. pontif. Agapeti s. p. 8. 17 Cal. Jul. Ind. 11. Rubeis p. 257.
90.	20 Oct. Ind. 12. (953)	Tabula Ioannis episcopi Tiburtini. An. pontif. Agapiti iunioris papae 8,

		AGAPETUS II. Ind. 12, mens. Octobr. die 20. Ughelli t. I. p. 1305.
91.	26 Oct. Ind. 12. (953)	Tabula Petri archiep. Ravenn. An. pontif Agapiti s. p. et u. p. 8. regnant. Berengario et Adelberto eius filio a. 4, die 26 m. Octobr. Ind. 12. Rubeis p. 257. Fantuzzi t I, p. 133.
92.	7 Jan. Ind. 12. (954)	Tabula Petri archiep. Ravenn. An. pontif. Agapiti s. p. et u. p. . . . . die 7 mensis Januar. Ind. 12. Fantuzzi t. VI p. 11.
*93.	25 Mart. Ind. 13. (955)	Ad Leonem abbat. monasterii St. Stephani et Dionysii. Confirmantur bona et privilegia, et quae dedit „per commutationem cartula Albericus omnium Romanorum senator quondam, in qua et ille cum suis fratribus et sororibus p. m. subscripserunt et consenserunt, videlicet Constantinus vir nobilis, Sergius Nepesinae ecclesiae episcopus cum Berta et alia Berta.“ Scrpt. p. m. Leonis not. region. et scrin. S. R. E. in m. April. Ind. 13. Dat. 8 Cal. Apr. p. m. Marini episcopi Polimartiensis eccles. et bibliothecarii s. s. ap. An. pont. Agapiti s. p. et un. iunioris pap. 9. Ind. 13. Marini papiri dipl. p. 38.
94.	2. Jul. Ind. 13. (955)	Tabula Mariae, uxoris Martini ducis. An. pontif. d. Agapiti s. p. et u. p. 10. Regnante d. Berengario et Adalberto eius filio a. 5, d. 2 mens. Jul. Ind. 13. Fantuzzi t. I, p. 135.
95.	17 Sept. Ind. 13. (955)	Tabula Regimbaldi abbatis monast. St. Mariae. An. pont. d. Agapiti s. p. et u. p. 10, sicque regnante d. Berengario et Adalberto a. 5, die 17

AGAPETUS II.

		mensis Septmbr. Ind. 13. Fantuzzi t. II p. 19.
*96.	Oct. Ind. 13. (955)	Ad Segarium abbatem. Confirmatio bonorum monast. Lenis. Scrpt. p. m. Leonis scrin. S. R. E. In m. Oct. Ind. 13. Bouq. t. IX p. 233.
97.	11 Jan. Ind. 14. (956)	Tabula. An. pontif. d. Agapiti s. p. 10, sicque regnante d. Berengario rege et Adalberto eius filio in Italia a. 6, die 11 m. Jan. Ind. 14. Murat. ant. It. t. V p. 469.
98.	14 Mart. Ind. 14. (956)	Tabula. An. pontif. d. Agapiti s. p. 10, regnante d. Berengario et Adalberto piis. reg. a. 4, die 14 m. Mart. Ind. 14. Ibid. t. III p. 145. (Numerus anni Berengarii et Adalberti corruptus est, an. 956 currebat a. r. 6.)

IOANNES XII.

*99.	2 Jan. Ind. 15. (957)	Ad Bernerum abbatem. Confirmat „petente Lothario, rege Francorum, gloriosae indolis puero," abbatiam Humolariensem a laico possidendam non esse. Scrpt. p. m. Leonis scriniarii s. s. ap. mense Jan. Ind. 14. Dat. 4 Non. Jan. p. m. Georgii secundi episc. s. s. ap. a. 1 D. p. pont. Ioannis s. p. et u. p. Cocquel. t. I p. 257.
100.	22 Febr. Ind. 15. (957)	Tabula Petri archiep. Ravenn. An. pontif. d. Ioannis s. p. et u. p. 1, sicque regnante d. Berengario et Adalberto a. 7, die 22 m. Febr. Ind. 14. Fantuzzi t. II p. 21. (In duabus tabulis 99 et 100 pro ind.

IOANNES XII.

		14 legendam esse ind. 15. ex antecedentibus Agapeti et sequentibus Ioannis diplomatis apparet.)
101.	20 Mart. Ind. 15. (957)	Tabula Ravenn. An. pontif. d. Ioannis s. p. et u. p. 1, sicque regnante d. Berengario excellentissimo rege et Adalberto 7, die 20 m. Martii. Ind. 15. Fant. t. I p. 144.
102.	6 Apr. Ind. 15. (957)	Tabula Petri arch. Ravenn. An. pont. d. Ioannis s. p. et u. p. 1, sicque regnant. d. Berengario et Adelberto a. 7, die 6 m. Apr. Ind. 15. Ibid. t. V, p. 242.
103.	15 Jun. Ind. 15. (957)	Tabula Honesti subdiaconi. An. pontif. d. Ioannis s. p. et u. p. 1, sicque regnante d. Berengario et Adalberto ej. filio a. 7, die 15 m. Jun. Ind. 15. Ibid. t. I, p. 142.
104.	18 Aug. Ind. 15. (957)	Tabula Sergiae abbatissae. An. pontif. d. Ioannis s. p. et u. p. 1, sicque regnante vero d. Berengario rege et Adalberto ej. filio item rege a. 7, die 18 m. Aug. Ind. 15. Ibid. p. 138.
105.	14 Nov. Ind. 15. (957)	Donatio Gratiani ducis et consulis ad monast. Sublacensem. An. pontif. d. Ioannis s. p. et un. XII papae 1, in mens. Nov. die 14, Ind. 15. Murat. ant. It. t. I p. 165.
*106.	15 Dec. Ind. 15. (957)	Confirmatio privileg. episc. Beneventani ad Landulfum episcop. Scrpt. p. m. Leonis scriniarii S R. E. m. Dec. Ind. 15. Dat. 18 Cal. Jan. p. m. Marini episc. et biblioth. D. p. An. pont. d. Ioannis s. p. et un. XII papae in s. s. b. Petri 2. Cocquel. t. I p. 256.

IOANNES XII.

107.	24 Maj. Ind. 1. (958)	Tabula Petri archiep. Ravenn. An. pontif. d. Ioannis s. p. et u. p. 2, sicque regnante Berengario et Adalberto a. r. 8, die 24 m. Maj. Ind. 1. Fantuzzi t. II p. 23.
108.	16 Jun. Ind. 1. (958)	Tabula Sergiae abbatissae. An. pontif. d. Ioannis s. p. et u. p. 2, regnante d. Berengario et Adalberto a. 8, die 16 m. Jun. Ind. 1. Ibid. t. I p. 148.
*109.	10 Maj. Ind. 2. (959)	Ad Leonem abbatem. Confirmatio privileg. monaster. Sublacensis. Scrpt. p. m. Leonis scrin. et not. s. s. ap. in m. Majo. Ind. 1. Dat. 6 Id. Maj. p. m. Marini Polimartiensis eccles. ep. et biblioth. s. s. ap. An. pont. d. Ioannis s. p. et un. XII papae 3. Ind. 1. Murat. ant. It. t. V p. 461. (Ind. 1 in 2 mutanda ex anno pont. 3.)
110.	6 Dec. Ind. 2. (959)	Tabula Sergiae abbatissae. An. pontif. d. Ioannis s. p. et u. p. 3, sicque regnante Berengario et Adalberto a. 10, die 6 m. Dec. Ind. 2. Fantuzzi t. I p. 149. (Cfr. infra.)
111.	12 Maj. Ind. 3. (960)	Tabula Petri archiep. Ravenn. An. pontif. 4 d. Ioannis s. p. regnante Berengario et Adalberto eius filio a. 10, 4 Id. Maji Ind. 3. Rubeis p. 258.
112.	24 Oct. Ind. 4. (960)	Tabula Sergiae abbatissae. An. pontif. d. Ioannis s. p. et u. p. 4 et regnant. d. Berengario et Adalberto a. 10, die 24 m. Oct. Ind. 4. Fantuzzi t. I p. 155. (Cfr. infra.)
113.	2 Sept. Ind. 4. (961)	Tabula Davidis viri nobilis. An. pontif. d. Ioannis s. p. et u. p. 5

		IOANNES XII.
		die 2 m. Sept. Ind. 3. Fantuzzi t. I p. 150. (Cfr. infra.)
*114.	1 Oct. Ind. 4. (961)	Pallium datur Dunstano archiep. Canterburiensi. Scrpt. p. m. Leonis scrin. s. s. ap. in m. Oct. Ind. 4, die 1 Cal. Oct. a. pont. 12 (leg. 5) s. p. d. Ioannis. Mansi t. XVIII p. 449.
*115.	12 Febr. Ind. 5. (962)	Ad episcop. in Gallia, Germania, Bavaria. Constitutio archiepiscopatus Magdeburgensis. Scrpt. p. m. Leonis scrin. s. s. ap. Dat. 2 Id. Febr. p. m. Georgii sec. An. D. p. pont. d. Ioannis s. p. et un. XII papae 7, imperii d. piis. Augusti Ottonis a Deo coronati magni imperatoris, a. 1, Ind. 5. Mansi t. XVIII p. 461.
*116.	8 Mart. Ind. 5. (962)	Ad Theophylactum abbatem monast. Stephani et Dionysii. Confirmatio bonorum. Scrpt. p. m. Leonis scrin. S. R. E. in mens. Martio Ind. 5. Dat. 8 die m. Martii p. m. Ioannis episcopi et biblioth. s. s. ap. An. pont. d. Ioannis s. p. et un. XII papae 7. Marini pap. dipl. p. 45.
117.	14 Maj. Ind. 5. (962)	Tabula Uberti episcopi Forlani. An. pont. d. Ioannis s. p. et u. p. 6, sicque imp. d. piis. perp. Aug. Ottone a. D. cor. pacif. m. imperat. a. r. pietatis eius in Italia a. 1, d. 14 m. Maj. Ind. 5. Fantuzzi t. VI p. 14.
*118.	Jul. Ind. 5. (962)	Ad Paulum abbatem. Confirmatio bonorum monast. Vulturnensis. Scrpt. p. m. Benedicti scriniarii S. R. E. In m. Jul. Ind. 5. in s. s. b. Petri 7 an. pontif. d. Ioannis. Cocquel.

		IOANNES XII.
		p. 258. (In tabulis 115, 116, 118 falso computatus est annus pontif. 7, ut indicat ind. 5 et annus 1 imp. Ottonis in tab. 115.)
119.	20 Aug. Ind. 6. (963)	Tabula Ravenn. 13 Cal. Sept. Ind. 6. An. d. Ioannis pontif. maxim. 7. Rubeis p. 259.
120.	24 Jul. (963)	Tabula Petri archiep. Ravenn. An. 7 d. Ioannis pont. Imp. Ottone in Italia a. 2. 9 Cal. Sept. Ibid. p. 260.
		LEO VIII.
*121.	13 Dec. (963)	Pallium datur Rodoaldo patriarchae Aquileiensi. Id. Dec. An. pont. Leonis 1, imperante Ottone a. 2. Ughelli t. V, p. 44.
122.	15 Jan. Ind. 7. (964)	Tabula Ioannis abbatis monast. St. Euphemiae. An. pontif. d. Leonis s. p. et u. p. 1, sicque imperante d. piis. semper Augusto Ottone, a Deo coronato pacifico magno imperatore, in Italia a. 3, die 15 m. Jan. Ind. 7. Fantuzzi t. I p. 160. (Annus imper. 3 ex ind. 7 et anno pont. 1 in 2 mutandus.)
123.	4 Febr. Ind. 7. (964)	Tabula Mariae abbatissae monast. St. Martini. An. pontif. d. Leonis s. p. et u. p. 1, sicque imperante etc. (ut supra) Ottone a. 3, die 4 m. Febr. Ind. 7. Ibid. p. 162.
124.	22 Apr. Ind. 7. (964)	Tabula eiusdem. An. pontif. d. Leonis s. p. et u. p. 1, sicque imp. (ut supra) Ottone a. 3, die 22 m. Apr. Ind. 7. Ibid. p. 166.
125.	27 Maj. Ind. 8. (965)	Tabula Petri archiep. Ravennat. An. pont. d. Leonis s. p. et u. p.

		LEO VIII.
		2, sicque imp. (ut suprà) Ottone a. 4, die 27 m. Maj. Ind. 8. Fantuzzi t. III p. 5.
126.	7 Aug. Ind. 8. (965)	Tabula Adriani abbatis monast. St. Mariae. An. pont. d. Leonis s. p. et u. p. 2. Imp. (ut supra) Ottone a. 4, die 7 m. Aug. Ind. 9. Ibid. t. I p. 167. (Ind. 9 mutanda in 8, ut indicat a. imp. 4; a. 966 Leo iam mortuus erat.)
		BENEDICTUS V.
		IOANNES XIII.
*127.	Apr. Ind. 10. (967)	In synodo Ravennate. Constitutio archiep. Magdeburgensis. Imp. d. Ottone Augusto imp. a Deo coronato Caesare et magno et ter benedicto, an. apost. n. 2, ipsiusque praenominati imperii a. 6. Scrpt. p. m. Stephani not. region. scrin. S. R. E. In m. Aprili et Ind. 10. Mansi t. XVIII p. 509.
128.	7 Apr. Ind. 10. (967)	Iudicium pro archiep. Ravennat. contra Rainerium diaconum. An. pont. .... 2, sicque imper. d. piis. Aug. Ottone in Italia a. 6, die 7 m. Aprilis, Ind. 10. Fantuzzi t. II p. 27.
*129.	14 Apr. Ind. 10. (967)	Confirmatio privileg. episc. Bononiensis. Dat. 18 Cal. Maj. An. pont. nostri 2, Ottonis imp. a. 6. Ind. 10. Mansi t. XVIII p. 509.
*130.	22 Apr. Ind. 10. (967)	Ad Mathildam abb. Confirmatio privil. monasterii Quedlinburgensis. Scrpt. p. m. Stephani scrin. S. R.

		IOANNES XIII.
		E. in m. April. Ind. sexta decima (!) Dat. 10 Cal. Maj. p. m. Widonis episc. S. Silvae candidae et biblioth. s. s. ap. An. pont. d. Ioannis s. p. et un. XIII provisoris s. Rom. eccles. videlicet 11, (!) an. Aug. Ottone a Deo coronato magno imp. a. 6. monarchiam Rom. imp. feliciter gubernante, Ind. VI decima Ib. p. 505. (Tabula, ut videtur, supposita.)
*131.	25 Apr. Ind. 10. (967)	Ad synodum Ravennatem. Fridericus constituitur archiepiscopus Salisburgensis loco caecati Heroldi. Scrpt. p. m. Stephani scrin. S. R. E. in m. Aprili et Ind. 10. 7 Cal. Maj. Cocquel. t. I p. 261.
*132.	1 Jan. Ind. 11. (968)	Ad Gerbergam abbatissam Gandershemensem. Confirmatio privilegiorum monasterii. Scrpt. p. m. Stephani scrin. S. R. E. Dat. Cal. Jan. p. m. Widonis episcopi Silvae candidae et bibliothecarii s. s. ap. An. pontif. d. Ioannis s. p. et un. XIII pap. 3. Imperatoribus sereniss. d. Ottone maiore et minore, a. imp. maj. 6, minor. 1. Ind. 11. Mansi t. XVIII p. 529.
*133.	2 Jan. Ind. 11. (968)	Ad Theotfridum abbat. St. Maximini. Confirmatio privilegiorum monasterii. Scrpt. p. m. Stephani scrin. S. R. E. Lectum in Synodo Romae habita, assidentibus divis imperatoribus, Ottone magno filioque eius aequivoco. a. imp. maj. 6. minor. 1, 4 Nón. Jan. Ibid. p. 531.

IOANNES XIII.

*134.	3 Jan. Ind. 11. (968)	In synodo Romana. Constitutio episcopatus Misnensis. Scrpt. p. m. Stephani scrin. S. R. E. in m. Decembr. Ind. 11. Dat. 3. Non. Jan. p. m. Widonis episc. Silvae cand. et biblioth. s. s. ap. An. pontif. d. Ioannis s. p. et un. XIII papae 3. Impp. dd. piis. Aug. Ottone et eius aequivoco filio a. D. cor. magn. imperatt. a. i. maj. 6 et minor. 1. Ind. 11. Mansi t. XVIII, p. 532.
*135.	Jan. Ind. 11. (968)	Ad Ramnulfum abbat. Dolensem. Confirmatio privilegiorum monasterii. Scrpt. p. m. Theodori not. S. R. E. in m. Jannuario Ind. 11. Bouq. t. IX p. 236.
136.	12 Oct. Ind. 11. (968)	Tabula Petri archiep. Ravenn. An. pontif. d. Ioannis s. p. et u. p. 3, sicque imp. d. piis. perp. Aug. Ottone a. D. cor. pacif. m. imperat. in Italia a. 7, d. 12 m. Oct. Ind. 11. Fantuzzi t. II p. 30.
*137.	8 Nov. Ind. 11. (968)	Confirmantur privilegia monasterii Fuldensis. Interventu Ottonis imp. et Werinharii abbatis constituitur „ut idem Fuldensis abbas ante omnes alios abbates Galliae seu Germaniae primatum sedendi in omni loco, quo convenerint, obtineat“ Scrpt. p. m. Stephani scrin. region. et not. S. R. E. in m. Oct. Ind. 11. Dat. 6 Id. Nov. p. m. Widonis episcop. et biblioth. s. s. ap. An. pont. d. Ioannis XIII papae 4, imp. d. Ottonis Aug. maj. 6 min. 2. Cocquel. t. I p. 263.

IOANNES XIII.

*138.	22 Jan. Ind. 12. (969)	Ad Theodericum archiep. Trevirensem. Constituitur ut „Trevirensis praesul post quemlibet ordinarium legatum primum inter alios pontifices locum obtineat. Et si missus R. E. defuerit, similiter post imperatorem sive regem sedendi — primatum habeat.“ Scrpt. p. m. Stephani not. region. et scrin. s. s. ap. in m. Januar. Ind. 12. Dat. 11 Cal. Febr. p. m. Sicconis episc. ad vicem Guidonis episc. et biblioth. s. s. ap. An. pont. d. Ioannis s. p. et un. XIII pap. 4, imp. d. Ottonis maj. a. 7, min. a. 2. Ind. 12. Cocquel. p. 264.
*139.	26 Maj. Ind. 12. (969)	Ad Landulfum episcopum. Episcopatus Beneventanus in archiepiscopatum mutatur in concilio Romano, praesente d. Ottone gloriosissimo imperat. nec non Romanis atque Italicis et occidentalibus religiosis quam plurimis viris. Scrpt. p. m. Stephani scrin. S. R. E. in m. Maj. Dat. 7 Cal. Jun. p. m. Guidonis ep. Silvae cand. et biblioth. s. s. ap. An. pont. d. Ioannis XIII papae 4. Imp. Ottonis maj. a. 7 et min. a. 2. Ind. 12 a. d. i. 969. Mansi t. XIX p. 19.
*140.	Oct. Ind. 12. (969)	Adalberto Magdeburgensi iidem honores ut reliquis archiepiscopis tribuuntur. Scrpt. p. m. Stephani scrin. S. R. E. in m. Octobr. Ind. 12. Ibid. p. 5.

IOANNES XIII.

*141.	Dec. Ind. 12. (969)	Confirmatio bonorum monasterii Arulensis, petente Oliba comite. Scrpt. p. m. Leonis not. region. scrin. S. R. E. In mens. Decembr. Ind. 12. Cocquel. t. I p. 263.
142.	8 Apr. Ind. 13. (970)	Tabula Rudolfi comitis. An. pont. Ioannis s. p. et u. p. 4, sicque imp. d. piis. perp. Aug. Ottone a. D. cor. pacif. m. imperat. a. 9, die 8 m. April. Ind. 13. Fantuzzi t. I p. 172. (An. pont. 4 corrigendus ex ind. 13 et a. imp. Ottonis 9 in 5.)
143.	16 Aug. Ind. 13. (970)	Tabula Petri archiep. Ravennat. An. pontif. d. Ioannis s. p. et u. p. 5, sicque imp. d. Ottone m. imperat. in Italia 9, sed et d. Ottone ej. filii iunioris imperat. a. 3, die 16 m. August. Ind. 13. Amades. t. II p. 260.
*144.	29 Sept. (970)	Monasterium a Theodorico episcopo Mettensi conditum confirmatur. Dat. 3 Cal. Oct. p. m. Widonis episc. et biblioth. s. s. ap. An. pont. d. Ioannis s. p. et un. XIII pap. 5. Imp. d. Ottonis maj. 9, minor. 3. a. i. d. 970. Cocquel. t. I p. 266.
*145.	16 Nov. Ind. 14. (970)	Donatio ad Stephaniam senatricem. Scrpt. p. m. Stephani scrin. S. R. E. in m. Novemb. Ind. 14. Dat. 16 Cal. Dec. p. m. Widonis episc. et biblioth. s. s. ap. An. pont. d. Ioannis s. p. XIII 6, imp. d. Ottonum imperatorum nostrorum maj. 9, minor. 3. Marini p. 54. (De ind. cfr. infra.)

		IOANNES XIII.
154.	22 Maj. Ind. 15. (972)	Tabula Sergii abbatis monasterii St. Georgii. An. pont. d. Ioannis s. p. et u. p. 7, sicque imperat. d. piis. perp. Aug. Ottone a. 11 et d. Ottone eius filio a. 5, die 22 mensis Maji. Ind. 15. Fantuzzi t. I, p. 174.

Quaestioni de constituendis pontificum temporibus, praemittam aliam, necessariam illam et maiorem, quam quae hoc loco silentio praeteriri possit, de indictionibus, quibus in tabulis praecedentibus pontificum anni significati sunt. Et profecto, qui pontificum annos paulo accuratius computare vult, animum ad has indictiones praecipue attendat necesse est; mutantur enim cum anni numero initium et finis regni pontificalis, prout annos aerae Christianae aut ex Romana aut ex Constantinopolitana indictione descriptos esse dicis. Quod observandum eo magis, quo saepius et ipsi pontifices una alterave indictione, aut fortasse utraque in diplomatis usi esse videntur.

Ut consilio meo satisfaciam, eas tabulas, quae post diem 1 mens. Septbr. scriptae sunt, examinabo; differunt enim inter se indictiones illae in numerandis ultimis quatuor anni mensibus, quos Cstptana ad superiorem, Romana ad currentem annum aerae Christianae revocari iubet, quum illa a primo die mens. Sept. anni superioris, haec a primo die mens. Januarii anni currentis principium ducat.

Romanam indictionem in sequentibus tabulis inveniri vix negari posse censeo:

Formosus:

6: 17 Nov. Ind. 10 a. imp. Widonis 2 (892), Formosi a. 1.
9: 12 Dec. Ind. 12 a. imp. Widonis 4 (894), Formosi a. 3.

Si indictiones essent Cstptanae, indicarent an. 891 et 893, quorum mensibus Novembri et Decembri currebant Widonis anni 1 et 3, de cuius epocha cfr. supra p. 68.

Sergius III:

31: 3 Sept. Ind. 12. a. p. Sergii 6. (909).
32: 13 Nov. Ind. 13 a. p. Sergii 7. (910).
33: 4 Sept. Ind. 14 a. p. Sergii 8. (911).

Ex computatione indictionum Cstptanarum anni 908, 909, 910 ponendi essent, ideoque Sergius III ante m. Sept. a. 903 sedisse censendus esset, quod Benedicti et Christophori tabulae 22, 23 eodem fere tempore scriptae vetant. Neque aliter vetat tabula 36, data 5 Febr. 914, in qua Landonis mentio inest, ne eandem indictionem significatam credamus in literis suis a

Ioanne X:

*42: Sept. Ind. 8. a. p. Ioannis 7, (920)

quae indictio 8, cum anno 919 coniuncta, Ioannis initium ante mensem Sept. a. 913 reiiceret.

Agapetus:

72: 20 Sept. Ind. 5, a. r. Hugonis 21, (947) a. p. Agapeti 2.
*74: 26 Oct. Ind. 5, a. p. Agapeti 2.
80: 14 Nov. Ind. 8, a. r. Lotharii 20, (950) a. p. Agapeti 5.
95: 17 Sept. Ind. 13, a. r. Bereng. et Adalb. 5, (955), a. p. Agapeti 10.

Indictio Cstptana significat annos 946, 949, 954, quos non ferunt numeri annorum regni, qui in tabulis descripti sunt; et ipsius Agapeti pontificatus ex computatione ind. Cstptanae incepisset ann. 945, quo anno adhuc sedebat Marinus.

Ioannes XII:

105: 14 Nov. Ind. 15, a. p. Ioannis 1, (957).
106: 15 Dec. Ind. 15, a. p. Ioannis 2, (957).

Indictionem esse Romanam, nobis persuadent anni pontificatus 1 et 2; Ioannem enim inter d. 6 et 15 Dec. 956 electum esse, ab aliis demonstratum est, ut infra videbimus.

Ioannes XIII:

136: 12 Oct. Ind. 11, a. imp. Ottonis 7, a. p. Ioannis 3.

Quum a. imp. Ottonis 7 incidat in ann. 968, dubitari nequit quin ind. 11 sit Romana; ind. 11 Cstptana significat a. 967.

Sed non minus dilucidis exemplis probari potest in ipsorum pontificum tabulis indictionem Cstptanam usurpatam esse.

Formosus:

*5: 25 Nov. Ind. 10, a. imp. Widonis 1.

A. imp. Widonis 1 significat a. 891, et in eundem annum cadit ind. Cstptana 10; si quis ind. Romanam 10 i. e. 892, praeferat, is mendum in signis chronologicis inesse statuat necesse est.

Romanus:

*16: 15 Oct. Ind. 1, a. imp. Lamberti 6.

A. imp. Lamberti 6 significat a. 897; ind. 1 Romana cadit in a. 898, cuius mense Octobri sedit Ioannes IX, ut docet tabula 17, ex quo apparet ind. 1 esse Cstptanam cum a. 897 coniungendam.

Christophorus:

*23: d. 26 Dec. Ind. 7;

indicatur a. 903, eodem enim mense anni 904, quem significat ind. 7 Romana, iam sedit Christophori successor, Sergius, ut patet e tabula 32.

Stephanus VIII:

60: 4 Oct. a. r. Hugonis 14 (939) et Lotharii 10, Ind. 13, a. p. Stephani 1.

61: 29 Oct. Ind. 13. a. r. Hugonis 14 et Lotharii 9 (939) a. p. Stephani 1.

*63: Dec. Ind. 15, a. p. Stephani 3.

Anni regum in tab. 61 probant indictionem 13 esse lege Cstptana cum anno 939 coniungendam. Idem fortasse coniici potest de tab. 60, etsi a. r. Lotharii 10 indicare videtur a. 940. Quum Stephanus VIII sederet ante m. Dec. a. 939, in tab. 63. ind. 15 Cstptana ad a. 941 revocanda est.

Ioannis XIII:

*145: 16 Nov. Ind. 14, a. imp. Ottonis maj. 9, a. imp. minor. 3, a. p. Ioannis 6.

Anni imperatorum et pontificis indicant a. 970, itaque ind. 14 est descripta ex computatione Cstptana; ind. 14 Romana incidit in a. 971.

Jam pauca quaedam restant chartae Stephani V et VI, Agapeti, Ioannis XII et XIII pontificum, in quibus signa chronologica non sunt integra, aut indictiones, utrum Constptano an Romano more sint computatae, haud levem, neque his, quae habui, praesidiis tollendam, dubitationem movent.

Stephanus V:

2: 20 Nov. Ind. 8, a. p. Stephani 4.

Nisi corrupta sunt signa chronologica, ind. 8 esse Cstptanam censeam, nam cum anno 890, quem indicat ind. 8 Romana, an. pont. 4 nullo modo coniungi potest. Quod si statuere velles, Stephanus V, post d. 20 Nov. 886 creatus esset, quam opinionem refutat tabula 3. Si nostram tabulam ex ind. Cstptana ad an. 889 referamus, Stephani V epocha post d. 20 Nov. 885 constituenda est.

Stephanus VI:

13: 8 Sept. Ind. 15, a. imp. Lamberti 4, a. p. Stephani 1.

A. imp. Lamberti 4 sine dubio falso est conscriptus, quum a. 895 indicet; indictio 15 est Cstptana i. e. a. 896, nam indictio 15 Romana significaret an. 897, cuius mense Sept. Stephanus iam mortuus erat.

Agapetus:

90: 20 Oct. Ind. 12 a. p. Agapeti 8.

91: 26 Oct. Ind. 12, a. p. Agapeti 8, a. r. Berengarii et Adalberti 4, (indicat a. 954.)

Ind. 12 Romana cadit in a. 954, Agapetus, ut videbimus, consecratus est, ineunte anno 946, itaque nisi mendum latet in anno Agapeti 8., in his tabulis ind. Cstptana statuenda est, quae 12 indicat a. 953. Cfr. tab. 81, 83—85.

Ioannes XII:

110: 6 Dec. Ind. 2 a. r. Berengar. et Adalbert. 10, a. p. Ioannis 3.

Ambigi potest, utra indictio praeferenda sit, Cstptana 2 cum a. 958 an Romana 2 cum a. 959; reiicienda videtur illa, quum probari nequeat, Ioannem ante d. 6 Dec. a. 956 sedem pontificalem tenuisse. Pro anno regum X, quo significatur a. 960, fortasse scribendus est a. r. IX i. e. 959.

112: 24 Oct. Ind. 4 a. r. Berengar. et Adalb. 10, a. p. Ioannis 4.

Annus regum 10 est 960, ind. 4 Romana cadit in a. 961, quo currebat Berengarii et Adalberti a. 11; si igitur omnia sunt sana, ind. 4 est Cstptana quae indicat a. 960.

113: 2 Sept. Ind. 3, a. p. Ioannis 5.

Non consentiunt inter se ind. 3 i. e. 960 et annus pontificis 5 i. e. a. 961; ubi lateat mendum, dictu est difficile; Ind. 3 Cstptana indicat a. 959.

Signa tab. 116 sunt corrupta.

Ioannes XIII:

137: 8 Nov. Ind. 11, a. imp. Ottonis maj. 6, min. 2, a. p. Ioannis 4.

Ex anno 2 Ottonis minoris, 969, fortasse Ottonis maioris annus VI (967) mutandus est in VIII i. e. 969; annus pontificatus 4 postulat an. 968; omnia signa chronologica corrupta videntur, ideo de indictione nihil statui potest.

In huius commentationis de indictionibus quasi fundamento nunc tabularum ope ipse constituendus est pontificum ordo chronologicus. At in tali annorum continua serie certo quodam opus est principio, e quo computationem petere et filum quasi deducere possimus. Hoc vero non sane felix facit numerandi auspicium, quod non praebent nostrae tabulae tale fundamentum, quum e quatuor illis Stephani V nomine signatis, quae ante oculos sunt, hoc tantum erui possit, hunc post d. 25 mens. Martii, aut, quod e tabula 2 vix contendere ausim, post 20 Nov. ann. 885 pontificem creatum esse. Alia igitur auxilia petenda sunt.

Legimus in annalibus Fuldensibus[1]) a. 885 Carolum Crassum habuisse concilium Francofurti, qua in urbe diebus 6, 8 et 23 mens. Sept. a. 885 eum commoratum esse diplomatis docemur,[2]) et invitasse Hadrianum III papam, ut se conveniret; quum vero post paucos dies nuntius allatus esset, papam in ipso itinere exspirasse, Carolum Worma-

1) Pars IV, Pertz t. I, p. 402.

2) Boehm. reg. Carol. 994—996.

tiam esse profectum, ubi eum die 1 mens. Octobr. a. 885 fuisse deprehendimus.[1]) Itaque Hadrianus mense fere Augusto a. 885 obiisse censendus et successor eius Stephanus V mense Sept. electus est, ut habet Pagius.[2]) Neque tempus, quo mortuus sit Stephanus V, accuratius describi potest; annum 891 probant ann. Alemannici,[3]) et si fides habenda est epitaphio et catalogis,[4]) qui ei annos sex et paucos dies assignant, mense fere Sept. an. 891 e vita migravit, quod tab. 5 Formosi confirmari videtur, ex qua apparet, hunc ante d. 25 m. Novembr. 891 creatum esse.

Non minor est quaestio de morte Formosi, quam die paschae (4 Apr.) a. 896 accidisse scriptor Fuldensis narrat, consentientibus de anno annalibus Alemannicis et chron. Cavens.[5]) Hanc sententiam a Papebrocio, Pagio aliisque probatam, in suspicionem primus Muratorius vocavit[6]) ope tabulae cuiusdam, in qua die 1 m. Maj. a. 896 scripta, Formosi viventis mentio facta est.[7]) Neve credamus eum d. 1 m. Jul. 896 obiisse, ut habet chronicon Cavense, vetat diploma 11, die 11 m. Jun. 896 et anno primo Stephani VI scriptum, inter quem et Formosum, Bonifacium VI per quindecim dies sedisse, cum omnibus catalogis annales Fuldenses et versus Flodoardi testantur. Itaque dubitari nequit, quin Formosus mense fere Maj. an. 896 obierit[8]) et Stephanus VI m. Junio eiusdem a. consecratus sit.

---

1) Boehm. 997.

2) t. III, p. 741.

3) Pertz t. I, p. 52: Stephanus papa obiit, Formosus electus.

4) In epitaphio, ap. Papebroc. conat. chron. histor. p. 144, legitur: Bis ternis populum qui rexit et urbem. Idem tempus descriptum est in catalogo Herm. Contr., anon. Zwetlensis, Pez thesaur. t. I, 3 p. 373, et catal. IX ap. Pagium t. I. Annorum numero 6 adduntur d. 4 in catal. ap. Eccardum, d. 9 a Martino Polono, cat. Pag. V et VIII et Pistojens. ap. Zachariam bibl. Pistoj. t. I 78, d. 14 a Pandulfo Pis. et in cat. Pag. II. Reliqui qui exhibent a. 4 longius a veritate aberrant.

5) Pertz t. I, p. 53, 412. Pratill. IV, p. 404.

6) Ann. t. V, p. 253.

7) Boehm. 1121.

8) Hoc confirmatur eorum catalogorum auctoritate, qui Formoso a. 4 m. 7 assignant, ut Herm. Contr., Zwetlensis, Pag. II, III, IV, VI qui addunt

Post Stephanum VI, cuius ultima, quam habemus, tabula 14, scripta est d. 23 Jan. 897, in sede b. Petri die 15 m. Oct. a. 897 Romanum deprehendimus, tab. 16, eiusque successorem Ioannem IX ante d. 13 m. Januar. 898, t. 17. Recte igitur in catalogis Stephano VI a. 1 m. 1 d. 18,[1]) Romano m. 3 d. 20, Flodoardo probante, et Theodoro II d. 20 tribui videntur.[2]) Ex quo apparet, nisi dierum numeris nimium pondus afferas, Stephanum VI mortuum esse ineunte m. Aug. 897, Romanum tenuisse sedem usque ad finem fere m. Novembris, Theodorum per mensem Dec. 897, et primis denique diebus a. 898 Ioannem IX electum esse, de quo scripsit auctor Cavensis ad eundem a.: „Romae scissura multa facta est propter duos apostolicos b. Petri Ioannem et Sergium."

Benedictum IV ante d. 26 mensis Jul. a. 900[3]) fuisse consecratum docet t. 22, et Ioannem die 6 eiusdem mensis a. 900 adhuc inter vivos fuisse luce clarius Pagius demonstravit,[4]) ideo neque de unius morte aut alterius electione ambigi potest, neque audiendi sunt catalogi, qui ad unum paene omnes, quod sciam, duos tantum annos et paucos dies Ioanni tribuunt.

Ultima, quam novimus, tabula, in qua Benedicti exstat nomen, scripta est d. 26 Jul. 903, Christophori una d. 26 Dec. 903, t. 22 23, et inter utrumque cathedram tenuit Leo V, cuius nomen in omnibus catalogis, in nulla vero tabula invenitur. De his pontificibus sic scripsit auctor

---

d. 13 vel. 18. Ideo consecratus est Formosus m. fere Oct. a. 891. Falso descriptum est tempus a Martino Polono, cat. Caven. Blanch. t. I, aliisque qui habent a. 5 m. 6.

1) Catal. Eccard. C. Farfens. Murat. scrpt. II, 2 C. Pag. II, III, IV, VI. In reliquis cat. ut apud Martin Polon. et in cat. Cavens. legitur a. 1. m. 3.

2) Vers. de pontif. p. 319: Quatuor haud plenos tractans is (Romanus) culmina menses. Theodorus: Bissenos Romana dies qui iura gubernans. Consentiunt omnes paene catalogi Theodorum d. 20 sedisse. Romano assignantur m. 3 d. 20 a Mart. Pelono; m. 3 d. 22 aut 23 in cat. Cav. Pistoj. et Pag. V, VII, VIII; reliqui excedunt m. 4.

3) Chron. Cav. p. 405.

4) t. III, p. 780.

Cavensis ad a. 903: „Moritur papa Benedictus et illi succedit Leo, qui statim defunctus est, et post electionem cuiusdam schismatici iterum Sergius sedit.“ Sergius III enim, ut e tabulis 28 et 29 apparet, pontifex creatus est inter d. 19 m. Januarii et d. 1 m. Februarii a. 904.[1]) Itaque si, Flodoardo duce, damus Leoni V duos fere menses,[2]) Christophoro autem cum Hermanno Contracto et catalogo Zwetlensi quatuor menses, etsi Flodoardus repugnat et reliqui catalogi omnes,[3]) obiit Benedictus, ut coniicio, mense fere Jul. 903, post pontificium annorum trium,[4]) Leo autem et Christophorus mortui sunt m. circiter Sept. 903 et m. Januar. 904. Minorem dubitationem habet Sergii III mors, de qua legimus in chronico Cavensi 911: „Moritur etiam papa Sergius et successit illi Anastasius.“ Sergium d. 4 Sept. 911 adhuc inter vivos fuisse tabula docet 33.[5])

De Anastasio et Landone, quorum mentio in duabus tantum tabulis, 31 Aug. 912 et 5 Febr. 914, tab. 35, 36 invenitur, haec tradidit Cavensis ad an. 913: „Landus papa factus est post Anastasium. Sed post annum mortuus est, et coronatur Ioannes de Rabenna.“ Si fidem habemus catalogis sedit Anastasius a. 2 m. 2[6]) i. e. usque mensem Novemb. a. 913; Landonis successor Ioannes X inter d. 9

---

1) Si vera est haec computatio per sex fere annos exsul erat Sergius, non vero „septem volventibus annis“ ut in epitaphio eius et apud Flodoardum p. 324 legimus.

2) Vers. de pont. p. 321: Emigrat ante suum quam luna bis impleat orbem. Catal. Eccard. Farfens. Pistoj., Pag. II, III, IV, VI habent m. 1 d. 26 vel 27. Herm. Contr. duos ferme menses; Zwetl. m. 2, reliqui paene omnes d. 40.

3) Flodoard. l. l. Dimidio ulteriusque parum dispensat in anno. Herm. Contr. ed. Ussermann p. 121: Christophorus sedit m. 4, qui delectus est et monachus factus. In reliquis catalogis tribuuntur ei m. 6 vel. 7.

4) Proxime accedunt catal. Pag. VII et VIII, in quibus Benedicto a. 3 m. 2 assignantur. Herm. Contr. et Zwetl. habent a. 3 m. 5, reliqui paene omnes excedunt annos 4.

5) Minus accurate in omnibus paene catalogis Sergio a. 7 m. 3 aut 4 et pauci dies tribuuntur.

6) Catal. Eccardi et Pag. II, III, IV habent a. 2. m. 1 d. 22, reliqui paene omnes a. 2 m. 2.

et 19 m. Maj. 914 creatus est, cfr. tab. 37, 46, restant igitur Landoni sex menses, qui ei a Flodoardo assignantur.[1])

Ultima in qua legitur Ioannis X nomen est tabula 48, scripta 16 Jul. 927; deiectus est an. 928 et mortuus 929, ut habet Flodoardus in annalibus,[2]) ex quibus corrigenda sunt chron. Cavense et S. Benedicti, in quibus deiectio et mors ad eundem annum 928 relatae sunt. In catalogis igitur, qui Ioanni a. 14 et m. 2 dant, et paene omnes sunt, ad deiectionem usque anni eius numerati sunt, in uno Pagiano V ad mortem, ut videtur, qui habet a. 14 m. 10.[3]) Successores eius Leonem VI et Stephanum VII eodem an. 928 consecratos esse, negat tabula 49, e qua apparet Stephanum d. 13 m. Apr. 929 pontificem nondum fuisse. Legimus enim in chronico Cav. ad. an. 928, post Ioannis X mortem: „Leo elevatus est, sed statim exstinguitur, et Stephanus sedit pro eo.“ Septem menses et quindecim dies Leoni VI a Flodoardo tribuuntur;[4]) sedit igitur Ioannes X ad mensem fere Julium a. 928, et Leo VI ad mensem Martium 929 usque. Neque minus recte ab eodem Flodoardo dantur Stephano VII duo anni et totidem fere menses;[5]) tabula 52 enim docet, Ioannem XI successorem eius d. 18 mens. Aprilis 931 nondum sedisse, de quo sic chron. Cavense a. 931: „Stephanus, qui postea mortuus est, et Ioannes electus;“ quod mense Maj. factum esse videtur.

---

1) Vers. de pontif. p. 324: Mensibus hanc (sedem b. Petri) coluit sex ut denisque diebus. Herm. Contr. Zwetl. et Pistoj. tribuunt Landoni m. 5, Eccard. m. 3 d. 24, Pandulf. Pis. cat. Pag. exceptis V et VIII, qui 6 habent menses, m. 4 et paucos dies.

2) Cfr. supra p. 93. Vers. de pont. l. l.: Bis septem qua praenituit paulo amplius annis.

3) Cat. Pistoj. habet a. 15.

4) Vers. de pont. l. l.: Mensibus haec septem servat quinisque diebus. Iidem fere numeri exstant in cat. Eccard. Farfens. Pistoj. et Pag. II, III.

5) Vers. l. l.: Septimus hinc Stephanus binos praefulget in annos Aucto mense super bisseno ac sole iugato. Consentiunt cat. Eccard. Pistoj. Farf. et omnes paene Pagiani.

Leonem VII deprehendimus in sede Petri ante d. 9 mensis Januarii 936, cfr. tab. 58; falso igitur principium eius ad an. 937 in chronico Cavensi revocatur, ut e Flodoardi quoque annalibus a. 936 corrigi potest. Itaque defunctus est Ioannes XI primis diebus an. 936, ut iam Pagius computavit.[1]) Leonis mortem ad an. 939 auctor Cavensis his verbis indicavit: „Moritur papa Leo et in eius locum papa Stephanus per Ottonem regem sublimatus.“ E tabulis 64 et 61 apparet Stephanum VIII inter dies 27 m. Junii et 29 Octobr. 939 consecratum esse, bene igitur se habent anni 3 et menses 6, quos, ex omnibus paene catalogis Leo VII sedem Petri tenuit, et mortuus est m. fere Julio a. 939.

Stephani VIII ultima, quam habeo, tabula scripta est 27 m. Junii 942, tab. 64, quo anno eum obiisse in chronico Cavensi legimus.[2]) Marinus vero, qui ei successit, ut coniici licet e tabula 70, ante diem 14 mens. Jan. 943 electus est; itaque satis bene probantur illi a. 3 m. 4 d. 15, qui in nonnullis catalogis Stephano adscribuntur.[3]) Agapetus constituitur inter d. 25 m. Martii et d. 24 m. Maji 946, ex tab. 86, 93, sedit igitur Marinus annos 3 et menses 3, quos numeros omnes, quod sciam, catalogi excedunt. Ultima Agapeti tabula 98, scripta est d. 14 Mart. a. 956, et Ioannis XII initium inter 6 et 15 Dec. statuendum esse tabulae confirmant 106 et 110, quod iam viderant Papebrocius et Pagius; probatur igitur eorum catalo-

---

1) t. III, p. 839. Corruptus est sine dubio Flodoardi locus de Ioanne XI, vers. l. l.: Papaque obit, nomen geminum fere nactus in annum. Pro „geminum“ Pagius emendare voluit „quintum.“ In plurimis cat. satis accurate Ioanni XI adscribuntur a. 4 m. 10.

2) In eodem chronico legitur: Papa Stephanus per Ottonem regem sublimatus, deinde a Romanis bacchantibus caesus et vituperatus est cum fidelium scandalo. Eadem fere habent Martinus Polonus ap. Schilter. p. 364 et Amalricus Augerius Murat. scrpt. t. III, 2. Has res omni veritate carere non credo, quid vero statuendum sit, nescio. Hoc saltem iam reiecit Murat. ann. V, p. 427, quod Hoeflerus t. I, p. 34 an. 59 iterum protraxit, facinus illud ab Alberico perpetratum esse.

3) Ap. Pandulf. Pis. in cat. Cavens. Farfens. et Pag. V et VII.

gorum auctoritas, qui Agapeto a. 10 et m. 7 adscribunt.[1]) Ioannes munere depositus est ultimis diebus mensis Novembris a. 963 et mortuus d. 14 m. Maj. a. 964, ut narrant Liudprandus et cont. Regin.,[2]) Leo VIII vero e verisimili Papebrocii coniectura d. 6 Dec. 963 consecratus, obiit, quod fugit, ni fallor, omnes, qui huic paparum ordini operam dederunt, post diem 7 mensis Augusti 965, e tabula 126.[3])

Benedictus V, cuius nullum servatum est diploma, sedit, ut habet cont. Regin. diebus 14 Maj. — 23 Jun. 964. Ioannes XIII, successor Leonis, adeptus est pontificatum inter d. 12 Oct. et d. 16 Nov. 965, cfr. tab. 136 et 145, et obiit, ut in epitaphio eius scriptum est, d. 6 Sept. 972.[4])

Ut vero quae de pontificum ordine chronologico in commentatione praecedenti disserui, magis in aperto sint, hunc catalogum propono:

Stephanus V. Sept. 885 — Sept. 891.
Formosus Oct. 891 — Maj. 896.
Bonifacius VI Maj. 896.
Stephanus VI Jun. 896 — Aug. 897.
Romanus Aug. 897 — Nov. 897.
Theodorus II Dec. 897.
Ioannes IX Jan. 898 — 6—26 Jul. 900.
Benedictus IV 6—26 Jul. 900 — Jul. 903.
Leo V Aug. — Sept. 903.
Christophorus Oct. 903 — Jan. 904.
Sergius III Febr. 904 — Sept. 911.
Anastasius Sept. 911 — Nov. 913.
Lando Nov. 913 — Maj. 914.
Ioannes X 9—19 Maj. 914 — Jul. 928.

---

1) Pandulf. Pis. Cat. Farf. et Pag. V, VII, IX. Herm. Contr. et Martin. Polon; reliqui exhibent a. 9 m. 7.

2) In describendo tempore Ioannis XII errant catalogi, quum in omnibus a. 8 excedantur; sedit fere a. 7 m. 4 et paucos dies.

3) Recte igitur in uno catal. Farfensi Leoni assignantur a. 1 m. 8, in reliquis falso a. 1 m. 3.

4) Papebr. conat. p. 165. Ducang. glossar. sub voce depositio. Haud male igitur in cat. Eccardino assignantur Ioanni XIII a. 6 m. 10 d. 5.

Leo VI Jul. 928 — Mart. 929.
Stephanus VII Mart. 929 — Apr. 931.
Ioannes XI Apr. 931 — Jan. 935.
Leo VII Jan. 936 — Jul. 939.
Stephanus VIII 27 Jun. — 29 Oct. 939 — Dec. 942.
Marinus Jan. 943 — Maj. 946.
Agapetus II 25 Mart. — 24 Maj. 946 — Nov. 956.
Ioannes XII 6—15 Dec. 956 — Nov. 963.
Leo VIII 6 Dec. 963 — Aug. 965.
Benedictus V 14 Maj. — 23 Jul. 964.
Ioannes XIII 13 Oct. — 16 Nov. 965 — 6 Sept. 972.

CORRIGENDA.

p. 32. text. lin. 10. leg. III.
Ibid. annot. 4 lin. 1. leg. sine.
p. 51. - 4 - 3 - Sarilonem iam ann. 943 illam marcam non te misse etc.
p. 60. - 3 - 2 - Gibbon.
p. 78. - - 2 - mittere.
p. 86. text. - 4 - pateat.
p. 89. - - 8 - Arnulfum.
p. 141. - - 7 - nomine.
In appendice numeris 50, 51, 71 astericus apponendus est.

TYPIS JULII SITTENFELD.